JUGONNATH SUNKERSETT
PRESENTATION.

FLORA GRÆCA

Sibthorpiana.

CENTURIÆ DECIMÆ

QUOD EXTAT.

1840.



DELPHI.

FLORA GRÆCA:

SIVE

PLANTARUM RARIORUM HISTORIA

QUAS

IN PROVINCIIS AUT INSULIS GRÆCIÆ

LEGIT, INVESTIGAVIT, ET DEPINGI CURAVIT,

JOHANNES SIBTHORP, M.D.

SS. REG. ET LINN. LOND. SOCIUS,

BOT. PROF. REGIUS IN ACADEMIA OXONIENSI.

HIC ILLIC ETIAM INSERTÆ SUNT

PAUCULÆ SPECIES QUAS VIR IDEM CLARISSIMUS, GRÆCIAM VERSUS NAVIGANS, IN ITINERE, PRÆSERTIM APUD ITALIAM ET SICILIAM, INVENERIT.

CHARACTERES OMNIUM,

DESCRIPTIONES ET SYNONYMA,

ELABORAVIT

JOHANNES LINDLEY, PH. D.

ACAD. REG. BEROL. CORRESP.; ACAD. CÆS. NAT. CUR. SS. REG. LINN. LOND. REG. BOT. RATISB. REG. HORT. BEROL. PHYSIOGR. LUND. ALIARUMQUE SOCIUS; SOC. BATAV. SCIENT. ET LYCEI HIST. NAT. NOVEBOR. SOC. HON.

BOT. PROF. IN COLLEG. UNIV. ACADEMIÆ LONDINENSIS NEC NON IN INST. REG. BRIT. ET SOC. PHARM. LOND

VOL. X.

LONDINI:

TYPIS RICHARDI ET JOHANNIS E. TAYLOR.

MDCCCXL.


LECTORI BENEVOLO.

ECCE tandem ex prelo prodit opus illud Sibthorpianum, cui nomen inditum est FLORÆ GRÆCÆ, quum jam post obitum auctoris quadraginta quinque præterierunt anni. Neque in eo solum vir egregius operam suam præstitit, ut cognitione diligenti et scientia singulari rem herbariam Græcorum collectam digereret; sed idem fundi annuos fructus legavit, unde et liber, et quod multo majus est, istæ tabulæ, tum propter pulcritudinem, tum quod tam prope ad naturæ veritatem accedunt præstantissimæ, publici juris fieri possent.

Operi promovendo per tot annos præfuerunt, quibus Sibthorpius curam testamenti sui demandaverat, Johannes Hawkins socius ejus laborum itinerumque, et Thomas Platt, quo diu usus erat familiarissime. Hi ultra concessum humani ævi spatium suo quodam fato durasse videntur, tamquam ad id ipsum ut amicis liceret amici votis quam absolutissime satisfacere. Unum quodammodo molestius ferunt, quod non potuerint totum illud mille tabulas, quod testator ipse præfiniverat, efficere. Causam tamen apud omnes probatum iri sperant. Quippe tantum indicium liberalissimi animi tam insigni legato vix dederat Sibthorpius, quum, uno mensi interposito, subita morte est præreptus. Decimam igitur centuriam, quam operis finem fore sibi animo proposuerat, neque explevit, neque unde alii possent explere, reliquit. Huc accedit, quod pictor, cujus eximia opera adhuc datum est uti, et ipse desiit vivere. Ita quum omnes necessariæ opes ad rem ex sententia auctoris perficiendam desint, nemo profecto reperietur, qui culpæ putet vertendum, si ordo tabularum non ultra DCCCCLXVI^am processerit.

Is denique, qui post Smithii mortem curatoris est munere functus, hoc pro se dictum velit. Quum optime sciat quam nihil suo labore ad faustum exitum profuerit, tamen haud mediocri sibi ducit gloriæ, ei se operi curando et ad finem perducendo interfuisse, quo nemo antehac indagatoribus naturæ quicquam legavit splendidius.

KALENDIS JUNIIS: ANNO SALUTIS MDCCCXL^MO. EX COLLEGIO UNIVERSITATIS APUD LONDINENSES.



Centaurea cuneifolia

SYNGENESIA POLYGAMIA FRUSTRANEA.

TABULA 901.

CENTAUREA CUNEIFOLIA.

CENTAUREA foliis arachnoideo-tomentosis: summis linearibus acutis inferioribus bipinnatifidis, lobis obovato-cuneatis mucronulatis, capitulis ovato-oblongis, squamis fimbriatis sulcatis.

C. cuneifolia. *Prodr. v.* 2. 198. *De Cand. Prodr. v.* 6. 581.

In monte Athô. ☉.

Tota arachnoideo-tomentosa. *Caulis* strictus, corymboso-ramosus, bipedalis, angulatus; *ramis* rigidis, gracilibus. *Folia inferiora* bipinnatifida, laciniis versus basin sensìm decrescentibus, minoribus indivisis interjectis; lobis obovato-cuneatis, mucronulatis; *superiora* pinnatifida, mox basi utrinque appendiculata; *summa* linearia, indivisa in squamas ferè mutata, nunc capitulis proxima, sæpiùs infra capitula deficientia. *Capitula* solitaria, ovata, 5 lineas longa. *Involucri squamæ* ovatæ, levitèr sulcatæ, rigidæ, basi glabræ, apice arachnoideæ, setis æqualibus, glabris, appressis, subspinosis fimbriatæ; *intimæ* lineares, apice tantùm fimbriatæ. *Pappi* setæ valdè inæquales, *achænio* breviores; extimæ squâmæformes.

Huic proximè affinis est Cyanus orientalis artemisiæ foliis, *Tourn. Cor.* 32, sed floribus majoribus squamisque calycinis haud sulcatis diversus. *J. E. Smith.*

a. Involucrum. *b.* Una è squamis involucri intermediis.
c. Flosculus radii. *d.* Flosculus disci, cum ovario suo.

TABULA 902.

CENTAUREA SPINOSA.

CENTAUREA arachnoideo-incana, caule fruticoso ramosissimo intricato, ramis inflorescentiæ spinescentibus, foliis pinnatis: laciniis linearibus obtusis distantibus summis integerrimis, capitulis sessilibus lateralibus, involucri ovalis angusti glabri squamis fimbriatis apice brevè spinescentibus.

C. spinosa. *Linn. Sp. Pl.* 1290. *Willd. Sp. Pl. v.* 3. 2293. *De Cand. Prodr. v.* 6. 586. *No.* 111.
Cyanus spinosus. *Alpin. Exot.* 163, *t.* 162.
Jacea cretica aculeata incana. *Tourn. Inst.* 445.

In Cretæ et Helenæ insularum arenosis maritimis, et prope Athenas. ♄.

Suffrutex pygmæus, basi lignosus, apice herbaceus, ramosissimus, intricatus, undique lanugine arachnoideâ incanus; *ramis* divaricatis, furcatis, nunc spinescentibus elongatis, nunc brevibus monocephalis. *Folia caulina* pinnatifida, basi dilatatâ vaginantia; *laciniis* linearibus, mollibus, obtusis, inferioribus minoribus; *ramea* summa linearia, indivisa, ferè in squamas mutata. *Capitula* solitaria aut geminata, sessilia, 4 lineas longa, angusta, ovalia, glabriuscula; *squamis* ovatis, acuminatis, apice spinosis, utrinque setis candidis ramentaceis fimbriatis. *Flosculi* albidi.

a. Capitulum. B. Idem, magnitudine auctum.
C. D. E. Involucri squamæ magnitudine auctæ. *f.* Flosculus radii.
F. Flosculus radii, auctus. *g.* Flosculus disci, cum ovario suo.
G. Flosculus disci, auctus.


TABULA 903.

CENTAUREA RAGUSINA.

Centaurea albo-tomentosa, caule erecto subsimplici, foliis radicalibus petiolatis infimis oblongis integerrimis superioribus pinnatifidis: laciniis oblongis undulatis subdentatis obtusis, caulinis paucis semipinnatifidis subsessilibus, capitulis racemosis incanis: squamis maturis glabris obtusis fimbriatis inermibus.
C. ragusina. *Linn. Sp. Pl.* 1290. *Willd. Sp. Pl. v.* 3. 2294. *Bot. Mag. t.* 494. *De Cand. Prodr. v.* 6. 589. *No.* 132.
Jacea epidaurica, candidissima et tomentosa. *Tourn. Inst.* 445.

In insulâ Cretâ. ♃.

Radix multiceps, lignosa, contorta. *Herba* tota tomento densissimo albo arachnoideo incana. *Rami* subdivisi, ascendentes, basi densè foliati, apice in *caulem* angulatum, pedalem, racemo paucicipiti terminatum producti. *Folia radicalia* longè petiolata, cæspitosa; infima oblonga, repanda, integerrima; proxima triloba, laciniis lateralibus oblongis multò minoribus; superiora pinnatifida, laciniis oblongis, undulatis, sensim basin versus decrescentibus, integerrimis aut denticulatis, ultimâ majore; *caulina* subsessilia, internodiis subæqualia, semipinnatifida, sub capitulis in bracteas lineares obtusas patentes mutata. *Capitula* subrotundo-ovata, semipollicaria, juniora incana,



Centaurea spinosa.



Centaurea ragusina



Centaurea sphaerocephala

matura glabra, flava. *Involucri squamæ* exteriores oblongæ, obtusæ, fimbriatæ, haud spinescentes, interiores sensim elongatæ, demùm, fimbriis evanidis, in appendicem bilobam, scariosam, laceram desinentes. *Flosculi* aurei. *Pappi* setæ pallidæ, valdè inæquales; extimæ minimæ.

Centaurea Marschalliana, Spreng. vix differt nisi flosculis purpureis nec aureis, et pappo brevi discolori; habitu et pluribus notis simillima est.

a. Capitulum. *b. c.* Squamæ involucri exteriores.
d. Flosculus radii. *e.* Flosculus disci, cum ovario suo.

TABULA 904.

CENTAUREA SPHÆROCEPHALA.

Centaurea caule diffuso, foliis hispidis auriculatis lyratis laciniis angulatis dentatis, terminali maximâ: summis involucrantibus subintegris, involucri squamis spinas 5 palmatas erecto-patulas gerentibus, pappo brevissimo in radio nullo.

C. sphærocephala. *Linn. Sp. Pl.* 1295. *Willd. Sp. Pl. v.* 3. 2311. *De Cand. Prodr. v.* 6. 599. *No.* 192.

C. Romana. *Linn. Sp. Pl.* 1295.

C. Zanonii. *Sebast. et Maur. Fl. Roman.* 298. *in Adnot.*

C. cæspitosa. *Vahl. Symbol. Botan. v.* 2. 93.

Carduus sphærocephalus tingitanus. *Tourn. Inst.* 441.

Jacea tingitana centauroides echinato capite villoso, ex unaquaque squama plurimis aculeis circulariter radiatis. *Pluk. Almag.* 191. *t.* 38. *f.* 5.

In Archipelagi maritimis. ♃.

Deest in herbario Sibthorpiano.

a. b. Involucri squamæ duæ. *c.* Flosculus radii.
d. Flosculus disci, cum ovario suo.

TABULA 905.

CENTAUREA NAPIFOLIA.

Centaurea caule erecto ramoso foliaceo-alato, foliis caulinis longè decurrentibus lineari-lanceolatis dentatis: inferioribus lyratis laciniâ terminali cordato-ovatâ, capitulis

bracteatis radio longissimo pendulo, involucri squamis apice subcordatis radiato-spinosis cartilagineis.

C. napifolia. *Linn. Sp. Pl.* 1295. *Willd. Sp. Pl. v.* 3. 2313. *De Cand. Prodr. v.* 6. 600. *No.* 199.

Pectinastrum napifolium. *Cassin. in Dict. Sc. Nat. v.* 44. *p.* 38.

Carduus creticus rapi folio. *Tourn. Inst.* 442.

In Cretâ et Siciliâ. ☉.

Radix annua. *Herba* viridis, pubescens. *Caulis* erectus, sesquipedalis, corymboso-ramosus, membranâ foliaceâ dentatâ, a basibus foliorum decurrentibus ortâ, alatus. *Folia radicalia* petiolata, rugosa, lyrato-pinnatifida; *petiolo* alato, dentato; *laciniis* dentatis, lateralibus ovatis, intermediâ ovato-cordatâ in infimis, obovatâ in supremis; *ramea* linearia, sessilia. *Capitula* bracteâ unâ alterâve proximâ subtensa; *flosculis* roseis, laxis, tubo albo elongato, deflexis, involucro longioribus. *Involucrum* 6 lineas longum, subrotundo-ovatum, basi subarachnoideum, cæterùm glabrum; *squamis* cartilagineis, arctè imbricatis, palmato-spinosis, planis, infimis sessilibus, superioribus cordatis in stipitem herbaceum elevatis, summis elongatis tantùm dentatis. *Pappi* setæ valdè inæquales, extimæ minimæ.

a. Involucrum.
b. Squama ejusdem intermedia.
B. Involucri squama intermedia, magnitudine aucta.
c. Una e squamis involucri intimis.
d. Flosculus radii.
e. Flosculus disci.
f. F. Achænium maturum, magnitudine naturali et auctum.

**** *Involucri spinis compositis,* Calcitrapæ.

TABULA 906.

CENTAUREA BENEDICTA.

Centaurea foliis amplexicaulibus subdecurrentibus semipinnatifidis spinosis reticulatis glabris capitula sessilia terminalia involucrantibus, achænio sulcato coronâ dentatâ cincto, pappi duplicis serie extimâ setiformi nudâ intimâ nanâ ciliatâ.

C. benedicta. *Linn. Sp. Pl.* 1296. *Willd. Sp. Pl. v.* 3. 2315.

Calcitrapa lanuginosa. *Lam. Fl. Fr. v.* 2. 35.

Cnicus benedictus. *De Cand. Prodr. v.* 6. 606.

Carduus benedictus. *Camerar. Epit.* 566. *cum ic.*

Cnicus sylvestris hirsutior, seu Carduus benedictus. *Tourn. Inst.* 450.

Καλάγγαθο *hodiè.*

In variis Peloponnesi locis, necnon in Cretâ, Cypro, et Samo, insulis. ☉.



Centaurea napifolia



Centaurea benedicta.



Centaurea ægyptiaca

Plantæ hujus, medicinâ celeberrimæ, per omnem Europam australem vulgatæ, nihil restat in herbario Sibthorpiano nisi folia vermibus ferè devorata, necnon *achæniorum* reliquiæ quædam. Hæ, vernice quasi obductæ, sulcatæ, tres lineas longæ, basi angustiores ibique hinc areolâ magnâ ovali excavatâ notatæ, apice coronâ cartilagineâ dentatâ, cui tot dentes quot laterum sulci, cinguntur. Intra coronam *pappus* adest duplex; cujus *exterior* e setis 10, subulatis, rigidis, glabris constat, dùm *interiori* totidem adsunt nanæ, ciliatæ, in conum conniventes.

a. Involucrum. *b. c.* Ejusdem squamæ.
d. Flosculus radii. *e.* Flosculus disci, cum ovario suo.
f. F. Achænium, magnitudine naturali et auctum. *g.* Receptaculum pilosum.

TABULA 907.
CENTAUREA ÆGYPTIACA.

Centaurea subpubescens, caule ramoso prolifero, foliis spathulatis in petiolum basi simplicem decurrentibus: radicalibus pinnatifidis rariùs integerrimis apiculatis, capitulis sessilibus foliis brevioribus, squamis glabris productis in spinam maximam pugioniformem basi utrinque bisetosam: intimis apice membranaceis.

C. ægyptiaca. *Linn. Mant.* 118. *Willd. Sp. Pl. v.* 3. 2316. nec *De Cand. Prodr. v.* 6. 595.

In Achaiâ. ⊙. (♃?)

Caulis erectus, pygmæus, pilosus, a basi imâ ramosissimus; *ramis* rigidis ascendentibus, ad bifurcationes floridis. *Folia* subcarnosa, pilosa, viridia, spathulata, ima tantùm pinnatifida, superiora omnia integerrima, summa capitulis longiora, patentia. *Capitula* in apices et dichotomias ramorum sessilia, foliis subverticillatis bracteata; *flosculis* purpureis. *Involucrum* globosum, glabrum: *squamis* paucis, arctè imbricatis, apice in spinam pugioniformem longissimam pallidam productis, basi utrinque setis 2—3 rigidis nanis auctam; *superioribus* tridentatis tantùm; *intimis* apice membranaceis, patulis.

Hæc species, cum *C. cancellatâ* Sieberi à cl. Candollio perperàm conjuncta, ab omnibus ejusdem sectionis in Prodromo suo descriptis diversa videtur.

a. Involucrum. *b.* Flosculus radii. *c.* Flosculus disci.

TABULA 908.

CENTAUREA SOLSTITIALIS.

Centaurea caule erecto ramoso, foliis arachnoideo-tomentosis spinuloso-dentatis, radicalibus interruptè pinnatifidis caulinis linearibus decurrentibus, capitulis solitariis sublanatis, squamis intermediis in spinam validam productis utrinque basi setosam: intimis apice scariosis subrotundis.

C. solstitialis. *Linn. Sp. Pl.* 1297. *Willd. Sp. Pl. v.* 3. 2309. *De Cand. Prodr. v.* 6. 594. *No.* 156.

Calcitrapa solstitialis. *Lam. Fl. Fr. v.* 2. 34.

Carduus stellatus luteus, foliis cyani. *Tourn. Inst.* 440.

Φαλαρίδα hodiè.

In Græciâ et Archipelagi insulis, frequens. ☉.

Radix annua, fibrosa. *Caulis* arachnoideo-tomentosus, strictus, angulatus, striatus, simplicitèr ramosus, parcè foliatus; *ramis* longis ascendentibus; capitulo altero terminali, aliisque lateralibus subsessilibus. *Folia radicalia* pinnatifida, longè petiolata, laxè arachnoidea, laciniis spinuloso-paucidentatis: lateralibus 4—6, inæqualibus, linearibus ovatisque imò triangularibus, terminali hastato-ovatâ, subrepandâ, mucronatâ; *caulina* linearia, acuminata, apice spinosa, stricta, decurrentia, sæpiùs cauli adpressa; *suprema* subulata. *Flosculi* lutei, stricti, involucro breviores. *Involucrum* parvum, lanatum, ovale, foliis quibusdam proximè bracteatum; *squamæ* infimæ apice setis aliquot rigidis armatæ; intermediæ in spinam longam, rigidam, pugioniformem, basi utrinque setosam productæ; summæ appendice albâ scariosâ patulâ terminatæ. *Pappi* albi setæ valdè inæquales, extimæ minimæ.

Inter Centaureas Calcitrapeas speciem invenio sub nomine *C. Schouwii* a Candollio descriptam, cui planta nostra meliùs quam *C. solstitiali* veræ respondit. An fortè eadem? Folia parùm decurrentia, capitula minora lanata, spinæ squamarum validæ, omnia a *C. solstitiali* abhorrent.

a. b. Involucri squamæ. *c.* C. Flosculus radii, magnitudine naturali et auctus. *d.* D. Flosculus disci, cum ovario suo, magnitudine naturali et auctus.

TABULA 909.

CENTAUREA MELITENSIS.

Centaurea caule erecto ramoso glanduloso-pubescente scabriusculo, foliis radicalibus lyrato-pinnatifidis in petiolum angustatis, caulinis longè decurrentibus linearibus



Centaurea solstitialis.



Centaurea melitensis



Centaurea drabifolia.

dentatis acutissimis, capitulis subsolitariis supra ultima folia sessilibus pilosis ovato-globosis, involucri squamis spinosis basi pinnatis intimis indivisis.

C. melitensis. *Linn. Sp. Pl.* 1297. *Willd. Sp. Pl. v.* 3. 2310. *De Cand. Prodr. v.* 6. 593.

Triplocentron melitense. *Cassin. in Dict. Sc. v.* 55. 369

Carduus stellatus luteus, capitulo minùs spinoso. *Tourn. Inst.* 440.

Jacea melitensis, capitulis conglobatis. *Boccon. Sicul.* 65. *t.* 35.

In Rhodo insulâ; etiam in agro Laconico. ⊙.

Radix annua, fibrosa. *Caulis* erectus, a basi ramosus, 1—2-pedalis, striatus, pube glandulosâ subasperâ cinereus. *Folia* pubescentia, scabriuscula, dentata; *radicalia* petiolata, pinnatifida, sublyrata, laciniis acutis, lateralibus oblongis, intermediâ multò longiore sed parùm latiore; *caulina* basi lanceolata, juxta capitula linearia, longè decurrentia. *Capitula* sæpiùs solitaria, terminalia et axillaria, nunc secus ramos racemosa, nunc geminata, sparsa. *Flosculi* flavi, stricti, involucro breviores. *Involucrum* ovatum, semunciam longum, pilosum; *squamæ* fuscæ, in spinam patulam, basi pinnatam, productæ, intermediis longioribus, intimarum spinulis lateralibus obsoletis.

a. Involucrum. *b. c. d.* Ejusdem squamæ, magnitudine naturali.
e. E. Flosculi radii; *f.* F. disci, magnitudine naturali et aucti.
g. G. Achænium, cum pappo suo, magnitudine naturali et auctum.

TABULA 910.

CENTAUREA DRABIFOLIA.

Centaurea cæspitosa, arachnoidea, incana, caulibus monocephalis ascendentibus, foliis petiolatis lanceolatis dentatis acutissimis, involucri sublanati ovalis spinis palmatis trifidisque laciniâ intermediâ longiore.

C. drabifolia. *Prodr. v.* 2. 202. *De Cand. Prodr. v.* 6. 595. *No.* 168.

In Olympo Bithyno monte. ♃.

Radix perpendicularis, ramosa, lignea, quasi rupibus infixa. *Caules* ascendentes, 1—2 pollices alti, a basi ipsâ foliati, arachnoidei, incani, apice monocephali. *Folia* omnia subconformia, arachnoidea, lanceolata, semunciam longa, dentata, acutissima; dentibus inferiorum altioribus. *Capitula* solitaria, ovato-oblonga, foliis proximis bracteata; *flosculis* luteis, radii laxè patulis, trifidis. *Involucrum* 8—9 lineas longum, sublanatum; *squamarum* spinis fuscis, infimarum simplicibus, intermediarum nunc

trifidis, nunc basi palmatis laciniâ intermediâ longiore, intimarum apice dilatato, pallido, scarioso.

Plantæ hujus rarissimæ involucrum in exemplaribus herbarii Sibthorpiani floridis lanâ densâ juxta omnis squamæ apicem vestitur, ideòque species à cel. Candollio sub hoc nomine descripta paulò diversa videtur.

a. b. c. Involucri squamæ. *d.* Flosculus radii.
e. Flosculus disci, cum ovario suo.

TABULA 911.

CENTAUREA ACICULARIS.

Centaurea acaulis, lanata, foliis humifusis interruptè bipinnatis: laciniis incisis acuminatis, capitulis subsessilibus, involucri spinis rectis gracilibus patulis intermediis pinnatis, squamis intimis apice sanguineis multifidis.

C. acicularis. *Prodr. v.* 2. 203. *De Cand. Prodr. v.* 6. 595.


In Liro et Cypro insulis. ♃.

Radix crassa, lignosa. *Caulis* omninò nullus. *Folia* humifusa; *juniora* lanugine alba; *adulta* arachnoideo-lanata, cinerea, spithamæa, interruptè bipinnata, laciniis acuminatis, incisis integrisque. *Capitula* inter folia sessilia aut pedunculata, oblonga; *flosculis* aureis, radii 5-fidis. *Involucrum* oblongum, pollicem et ultra longum; *squamæ* subtomentosæ, exteriores lineari-lanceolatæ, in spinam simplicem reflexam tenuem productæ, intermediæ ovatæ, spinâ longâ tenui, pinnatâ, patenti, proximæ lineari-oblongæ, ad basin spinæ brevioris fimbriatæ, intimæ lineares, in appendicem sanguineam, luteo limbatam, multifidam dilatatæ. *Achænium* immaturum pubescens. *Pappus* in genere longissimus, mollis, involucro æqualis; *exterior* inæqualis, setiformis, versus peripheriam decrescens; *interior* e paleis angustis constans linearibus apice dentatis.

a. Involucrum. *b.* Squama ejusdem intermedia.
c. Una e squamis involucri intimis. *d.* Flosculus radii.
e. Flosculus disci, cum ovario suo.



Centaurea acicularis



Centaurea parviflora



Centaurea eryngioides

TABULA 912.

CENTAUREA PARVIFLORA.

Centaurea caule erecto paniculato et divaricato-ramoso, foliis canescentibus radicalibus petiolatis bipinnatifidis caulinis pinnatifidis superioribus lineari-lanceolatis dentatis aut integris, capitulis ebracteatis, involucri ovato-oblongi squamis pallidis patulis pectinatis spinosis, pappo nullo.

C. parviflora. *Prodr. v.* 2. 203. *Bieb. Taur. Cauc. No.* 1825. nec *Desfont.*

C. diffusa. *Lam. Dict. v.* 1. 675. *De Cand. Prodr. v.* 6. 586.

Carduus orientalis, calcitrapæ folio, flore minimo. *Tourn. Cor.* 31.

In Asiâ minore. ♃.

Caulis durus, bipedalis, erectus, et humilior decumbens, angulatus, pubescens; *ramis* divaricatis, intricatis, rigidis, monocephalis. *Folia* inferiora bipinnatifida in exemplaribus herbarii Sibthorpiani periêre; *ramorum* linearia, sessilia, acuta, scabra, amplexicaulia, summis proximè sub capitulis. *Capitula* parva, ovata; *flosculis* albidis, involucri longitudine, radii deflexis. *Involucrum* 4 lineas longum; *squamis* corneis, appressis, pallidis, glabris, pectinatis, apice spinosis recurvis. *Ovarium* levitèr pubescens, calvum.

a. A. Involucrum, magnitudine naturali, et auctum. B. Ejusdem squama, magnitudine aucta.
c. C. Flosculus radii; *d.* D. disci, magnitudine naturali, et auctus.
e. E. Achænium, magnitudine naturali, et auctum. *f.* Receptaculum.

TABULA 913.

CENTAUREA ERYNGIOIDES.

Centaurea arachnoideo-incana, caule ascendente apice semel ramoso, foliis radicalibus petiolatis pinnatis laciniis superioribus pinnatifido-incisis: caulinis sessilibus, rameis integris, capitulis solitariis ebracteatis, involucri squamis ovatis acuminatis canaliculatis patentibus spinosis basi fimbriatis summis apice obtusis ciliato-incisis.

C. eryngioides. *Lam. Dict. v.* 1. 675. *Willd. Sp. Pl. v.* 2321. *De Cand. Prodr. v.* 6. 590. *No.* 136.

Carduus eryngioides, capite spinoso. *Alpin. Exot.* 158. *Tourn. Inst.* 441.

Prope Athenas. ♃.

Tota *herba* lanugine canescente arachnoideâ obducta. *Caulis* ascendens, pedalis vel

minor, angulatus, versus apicem flexuosus et in ramos paucos monocephalos divisus. *Folia radicalia* petiolata, *caulina* sessilia amplexicaulia; omnia oblongo-lanceolata, pinnata, laciniis lanceolatis, acutis, inferioribus minoribus integris, superioribus pinnatifido-incisis, sensìm versus apicem decrescentibus; *ramea* lanceolata, basi angustata, indivisa. *Capitula* facie Cardui Mariani, sed minora, pedunculata, ebracteata; *flosculis* purpureis, involucro vix duplò longioribus. *Involucrum* subrotundo-ovatum, glabrum, pollicem latum, basi squamulis in pedunculum descendentibus auctum; *squamæ mediæ* ovatæ, fimbriatæ, patentes, concavæ, in acumen spinosum canaliculatum extensæ; *supremæ* apice appendice rotundatâ, dilatatâ, ciliato-incisâ auctæ.

Plantam descripsi qualem in herbario Sibthorpiano et Baueri icone invenitur: forma Græca autem a Sinaicâ rupestri cl. Boveo inventâ notis pluribus discrepat; nempè staturâ rigidâ et humiliore, superficie lanatâ, necnon foliis multò brevioribus et latioribus. Easdem tamen species credo loco naturali et casu quodam mutatas.

a. Involucri pars, receptaculum floribus orbatum a latere ostendens. *b.* Flosculus radii. *c.* Flosculus disci, cum ovario suo.

TABULA 914.
CENTAUREA COLLINA.

CENTAUREA caule erecto corymboso foliisque subasperis, foliis rigidis radicalibus pinnatifidis laciniis linearibus obtusis integris aut lobatis superioribus sessilibus summis linearibus integerrimis, involucri squamis margine pallidis fimbriatis in spinam erecto-patulam squamâ sæpiùs breviorem acuminatis.

C. collina. *Linn. Sp. Pl.* 1298. *Willd. Sp. Pl. v.* 3. 2322. *De Cand. Prodr. v.* 6. 588.


C. cicutæfolia. *Horn. Hort. Hafn. v.* 2. 849. fide Candollii.

Calcitrapa collina. *Lam. Fl. Fr. v.* 2. 33.

Carduus luteus centauroides segetum. *Tourn. Inst.* 441.

In Peloponneso, et insulâ Cretâ? ♃.

Herba viridis, pubescens, scabra. *Caulis* erectus, angulatus, rigidus, apice tantum corymboso-ramosus. *Folia* rigida; *radicalia* petiolata, laxiùs villosa, altè pinnatifida, laciniis linearibus aut lineari-oblongis, obtusis, sæpiùs integerrimis, nunc bilobis, nullis minoribus interjectis; *caulina* similia, sessilia, gradatìm apicem versus minùs divisa, denique juxta capitula integerrima. *Capitula* solitaria, pedunculata, ovata, glabra; *flosculis* luteis, duplò longioribus, omnibus quinquefidis. *Involucrum* ultra pollicem longum; *squamæ* atro-virides, oblongæ, obtusæ, margine pallido, inciso, in spinam patulam v. squarrosam, nunc squamâ breviorem, nunc longiorem, producto; *intimæ* appendice membranaceâ, subrotundâ, ciliatâ auctæ.



Centaurea collina



Variat involucri spinarum longitudine, quæ nunc rigidæ erectæ squamas adæquant, nunc debiliores abbreviantur, nunc elongatæ faciem *C. eryngioidis* induunt. Staturam quoque parùm certam invenio; in humilibus folia duplò latiora et breviora.

a. b. c. d. Involucri squamæ variæ. *e.* Flosculus radii.
f. Flosculus disci. *g.* Receptaculum.

TABULA 915.

CENTAUREA RUPESTRIS.

Centaurea caule decumbente basi tantùm ramoso, foliis rigidis inferioribus petiolatis laciniis linearibus apice spinulosis summis sessilibus, capitulis pedunculatis, involucri glabri squamis ovatis acutissimis appressis apice sphacelatis margine fimbriatis scariosis.

C. rupestris. *Linn. Sp. Pl.* 1298. *Willd. Sp. Pl. v.* 3. 2322. *De Cand. Prodr. v.* 6. 588. *No.* 122.

C. arachnoidea. *Vivian. Ann. Bot. v.* 1. 2. 185.

In monte Athô. ♃.

Herba lanugine laxâ deciduâ vestita. *Caulis* decumbens, angulatus, pennæ corvinæ crassitie, basi tantùm in ramos longos, simplices, apice nudos monocephalos, divisus. *Folia* longè petiolata, rigida, pinnata; *laciniis* linearibus apice spinulosis, terminali infimorum lanceolatâ grossè dentatâ; *summa* sæpiùs pinnatifida, nunc simplicia, a capitulo distantia. *Capitula* subrotundo-ovata, solitaria, ascendentia; *flosculis* aureis, involucri duplò longioribus, radii trifidis. *Involucrum* semipollicem longum; *squamis* ovatis, acutissimis, glabris, apice sphacelatis, margine pallidis, scariosis, fimbriatis; *intimis* apice membranaceis, dilatatis, fuscis, incisis. *Achænia* lævia; *pappo* brevi, fusco.

a. b. c. Involucri squamæ. *d.* D. Flosculus radii, magnitudine naturali, et auctus.
e. E. Flosculus disci. *f.* F. Achænium maturum, magnitudine naturali, et auctum.

TABULA 916.

CENTAUREA RUTIFOLIA.

Centaurea caulibus erectis paniculatis foliisque utrinque incanis densè tomentosis, foliis inferioribus sessilibus pinnatis, laciniis pinnatifidis lobis inæqualibus obtusis, summis

indivisis, capitulis ad apices ramorum 2—4 foliis floralibus involucratis, involucri ovati squamis dorso striatis supernè brevitèr ciliatis apice mucronatis, pappo fructu breviore.

C. rutifolia. *Prodr. v.* 2. 205. *De Cand. Prodr. v.* 6. 602. *No.* 217.

C. pannosa. *De Cand. l. c. v.* 6. 582. *No.* 90.

Circa Byzantium. ♃.

Herba lanugine densissimâ cinereâ undique obducta. *Caulis* erectus, 2—3-pedalis, angulatus, corymboso-ramosus; *ramis* simplicibus, vel sæpiùs apice divisis. *Folia* mollia, formâ varia, laciniis obtusis; *radicalia* petiolata, lyrata, laciniâ terminali spathulatâ margine hic illic grossè dentata; *inferiora* sessilia, pinnata, laciniis pinnatifidis, lobis valdè inæqualibus, infimo haud rarò proximo superiore majore; *superiora* pinnatifida, amplexicaulia, lobo ultimo lateralibus triplò longiore; *ramea* oblongo-linearia, patula, integerrima. *Capitula* foliis summis involucrata, ideòque sessilia; *flosculis* pallidè carneis, laxè patulis. *Involucrum* ovatum, semunciam longum, junius lanatum, maturum glabratum; *squamis* ovatis, dorso striatis, arctè imbricatis, fimbriatis, apice spinâ brevi mucronatis, intimis linearibus apice ciliatis. *Achænium* olivaceum, pubescens; *pappo* brevi, candido, inæquali, basi sordido.

a. Involucrum. *b.* Flosculus radii. *c.* Flosculus disci, cum ovario suo.

TABULA 917.

CENTAUREA RAPHANINA.

Centaurea calycibus ciliatis spinosis, foliis sublyratis petiolatis nudis margine scabris, floribus radicalibus subsessilibus. *Prodr. v.* 2. 205.

C. raphanina. *De Cand. Prodr. v.* 6. 591. *No.* 144.

In Cretæ montibus Sphacioticis. ♃.

Radix fusiformis, crassa. *Flores* sæpiùs bini, pallidè purpurei; *flosculis* marginalibus pulchrè sanguineo-venosis. *J. E. Smith.*

Hujus varietas, subcaulescens et integrifolia, est Jacea cretica saxatilis, glasti folio, flore purpurascente, *Tourn. Cor.* 31, ex auctoris herbario. *J. E. Smith.*

Deest in herbario Sibthorpiano.

a. Involucrum. *b. c. d.* Ejusdem squamæ.
e. E. Flosculus radii; *f.* F. disci; magnitudine naturali, et auctus.
g. G. Achænium maturum, magnitudine naturali, et auctum. *h.* Receptaculum.



Centaurea rutifolia



Centaurea raphanina



Centaurea pumila



Centaurea galactites

****** *Involucri spinis simplicibus*, Crocodiloidea.

TABULA 918.

CENTAUREA PUMILA.

CENTAUREA caule brevissimo tomentoso, foliis pinnatis suprà incanis subtùs tomentosis: lobis inæqualibus angulatis petiolatis terminali rhomboideo-cordato subdentato, capitulis pedunculatis, involucri oblongi squamis glabris margine integris argenteis scariosis apice spinâ simplici terminatis.

C. pumila. *Linn. Sp. Pl.* 1300. *Willd. Sp. Pl. v.* 3. 2326. *De Cand. Prodr. v.* 6. 591. *No.* 142. *Vent. Hort. Malm. t.* 9.

C. mucronata. *Forsk. Fl. Ægypt. Arab.* 151.

Prope Athenas. ♃.

Radix lignosa, perpendicularis, nodosa. *Caulis* tomentosus, sæpiùs brevissimus, nunc palmaris. *Folia* omnia radicalia, petiolata, tomentosa, suprà cæsia, subtùs incana, pinnata, laciniis valdè inæqualibus, subrhombeis, angulatis; terminali multò majore, cordatâ, subhastatâ, rhomboideâ, imò lanceolatâ. *Capitula* oblonga, in pedunculis tomentosis elevata, unciam longa; *flosculis* pallidè purpureis, radiantibus ampliatis. *Involucrum* glabrum, basi obtusissimum; *squamis* viridibus, margine integro argenteo scarioso cinctis; *infimis* rotundatis, muticis; *intermediis* ovatis spinulâ mucronatis; *intimis* apice dilatatis, membranaceis, submuticis. *Ovarium* sericeo-villosum; *pappo* longo, tenui, molli, piloso, inæquali.

a. Involucrum. *b. c.* Ejusdem squamæ. *d.* Flosculus radii. *e.* Flosculus disci.

TABULA 919.

CENTAUREA GALACTITES.

CENTAUREA involucris setaceo-spinosis, foliis decurrentibus sinuatis spinosis subtùs tomentosis, pappo deciduo plumoso, staminibus monadelphis.

C. Galactites. *Linn. Sp. Pl.* 1300. *Desf. Fl. Atl. v.* 2. 303. *Willd. Sp. Pl. v.* 3. 2327.

Galactites tomentosa. *Mœnch. Meth.* 558. *De Cand. Prodr. v.* 6. 616.

Calcitrapa Galactites. *Lam. Fl. Fr. v.* 2. 30.

Carduus Galactites. *Tourn. Inst.* 441.

In Peloponneso, et Archipelagi insulis, haud infrequens. ♃.

Deest in Herbario.

a. b. c. d. e. Involucri squamæ. *f.* Flosculus radii. *g.* Flosculus disci, cum ovario suo. *h.* Stylus, cum staminibus monadelphis.

IV. POLYGAMIA NECESSARIA.

CALENDULA.

Linn. Gen. Pl. 446. *Juss. Gen. Pl.* 183. *Gærtn. t.* 168. *De Cand. Prodr. v.* 6. 451.

Receptaculum nudum. *Pappus* nullus. *Involucrum* polyphyllum æquale. *Achænia* disci membranacea.

TABULA 920.

CALENDULA ARVENSIS.

Calendula foliis pubescentibus subdentatis imis oblongo-subspathulatis superioribus cordato-lanceolatis amplexicaulibus, achæniis omnibus arcuatis marginalibus involucro duplò longioribus dorso longè echinatis apice rostratis: interioribus marginatis annularibus dorso muricatis.

C. arvensis. *Linn. Sp. Pl.* 1303. *Willd. Sp. Pl. v.* 3. 2339. *De Cand. Prodr. v.* 6. 452.
Caltha arvensis. *Tourn. Inst.* 499.

In arvis et ruderatis Græciæ et Archipelagi frequens. ⊙.

Caulis pubescens, staturâ varius, nunc sesquipedalis, ramosus, diffusus, nunc pollicaris simplicissimus. *Folia radicalia* lanceolata, basi angustata, subdentata, imò sinuata, pubescentia, scabra; *caulina* sessilia, amplexicaulia, oblongo-linearia. *Capitula* solitaria, pedunculata, ebracteata. *Involucrum* pubescens, subæquale; *squamis* herbaceis, linearibus, biserialibus, exterioribus paululùm longioribus. *Flosculi radii* 12—13, ligulati, tridentati, involucro duplo longiores, fœminei, *stylo* bipartito, *ovario* arcuato, dorso muricato, apice setis quibusdam brevibus coronato; *disci* masculi, tubulosi, 5-dentati, *ovario* effœto, calvo. *Achænia* involucro reflexo longiora, dorso muricata et glandulosa; *exteriora* in rostrum apice lacerum producta; *proxima* circularia, marginata.

a. A. Flosculus radii; *b.* B. disci, magnitudine naturali, et auctus.
C. Receptaculum, involucro reflexo, achænio unico tantùm in situ suo remanente.
d. Achænium marginale seorsìm.



Calendula arvensis.



Filago pygmaea

FILAGO.

Linn. Gen. Pl. 450. *Juss. Gen. Pl.* 179. *Willd. Sp. Pl. v.* 3. 2387.

Evax. *Gærtn. t.* 165. *De Cand. Prodr. v.* 5. 458.

Receptaculum paleaceum. *Pappus* nullus. *Involucrum* imbricatum *Flosculi* fœminei inter squamas involucri locati.

TABULA 921.

FILAGO PYGMÆA.

Filago foliis floralibus obovatis obtusis, involucri squamis acuminatis glabris.
F. pygmæa. *Linn. Sp. Pl.* 1311. *Willd. Sp. Pl. v.* 3. 2357.
F. acaulis. *All. Fl. Ped. n.* 620.
Gnaphalium pygmæum. *Lam. Dict. v.* 2. 761.
Evax umbellata. *Gærtn. Fr. v.* 2. 393. *t.* 165.
Evax pygmæa. *Pers. Synops. v.* 2. 422. *De Cand. Prodr. v.* 5. 458.
Micropus pygmæus. *Desf. Fl. Atl. v.* 2. 307.
Filago maritima, capite folioso. *Tourn. Inst.* 454.

In Archipelagi insulis; necnon in agro Eliensi et Messeniaco. ☉.

In Herbario deest.

a. Capitulum. A. Idem, magnitudine auctum, foliolis involucri fœmineis, discoque masculo. B. Unum ex involucri foliolis, flosculo fœmineo in gremio. *c.* C. Flosculus masculus disci. *d.* D. Achænium.

TABULA 922.

FILAGO EXIGUA.

Filago foliis obovato-lanceolatis, involucro extùs lanato. *Prodr. v.* 2. 207.
Micropus exiguus. *D'Urv. Enum.* 109. *n.* 802.
Evax exigua. *De Cand. Prodr. v.* 5. 458.

In Archipelagi insulis, cum priore. ☉.

Radix annua, gracilis, ramosa. *Caulis* uncialis, filiformis, a basi simplicitèr ramosus; *ramis* filiformibus, lanatis, discoloribus, aphyllis, apice glomerulos gerentibus. *Folia* cinerea, lanata, indivisa; *radicalia* spathulato-lanceolata, acuta; *floralia* capitula involucrantia, obtusa, lanâ immersa. *Capitula* in axillis foliorum floralium aggregata, subrotunda, foliis breviora, globosa, pisi minimi magnitudine. *Involucrum* imbricatum, polyphyllum; *squamis* lineari-lanceolatis, spinâ acuminatis, margine pallidis, intùs glabris, extùs villosissimis. *Flosculi* radii, tenuissimi, filiformes, pallidi, squamis breviores, fœminei; *disci* minimi, masculi, 4-dentati, nec, ut in icone nostrâ, 5-dentati; *ovario* effœto, calvo.

a. A. Involucrum. *b*. B. Ejusdem squamæ, cum flosculo radii; *c*. C. Flosculus disci; omnes magnitudine naturali, et aucti.



Echinops sphærocephalus

SYNGENESIA POLYGAMIA SEGREGATA.

ECHINOPS.

Linn. Gen. Pl. 453. *Juss. Gen. Pl.* 175. *Gærtn. t.* 160.

Involucellum 1-florum. *Corollæ* tubulosæ, hermaphroditæ. *Receptaculum* setosum. *Pappus* obsoletus.

TABULA 923.

ECHINOPS SPHÆROCEPHALUS.

Echinops foliis bipinnatifidis spinosis suprà viscoso-pilosis subtùs incano-tomentosis: laciniis angustè triangularibus divaricatis, involucelli squamis filiformibus quam intimæ plus duplò brevioribus: mediis apice rhombeis serratis, intimis lineari-lanceolatis elongatis margine serrulatis.

E. sphærocephalus. *Linn. Sp. Pl.* 1314? *Willd. Sp. Pl. v.* 3. 2396?
E. viscosus. *De Cand. Prodr. v.* 6. 525.
E. spinosus. *D'Urvill. Enum. Pl. Or.* 113.
Echinopus major. *Tourn. Inst.* 463.
E. orientalis, cardui lanceolati folio, capite magno cœruleo. *Tourn. Cor.* 34?
Κροκοδείλιον *Diosc.* ?

In Græciâ vulgaris. ♃.

Caulis erectus, subangulatus, purpureus, pilis crassis tortuosis viscosis patulis densè vestitus; ramis simplicibus monocephalis. *Folia* amplexicaulia, glanduloso-pilosa, viscosa, suprà viridia, subtùs incana, lanata, bipinnatifida; *laciniis* angustis, triangularibus, convexis, in spinam longam rigidam pallidam acuminatis. *Capitula* solitaria, sphærica, pedunculata. *Receptaculum* oblongum, areolatum, nudum. *Involucrum* reflexum; squamis spathulatis subpinnatifidis, apice acutis, incisis, corneis. *Flosculi* pallidè cyanei. *Involucelli* foliola extima piliformia; intermedia cuneata, elongata, apice acuta, spinuloso-serrata, in medio in spinam producta; intima lineari-lanceolata, acuminata, margine minutè denticulata. Cætera in exemplare solitario quod coràm est desunt.

a. b. Involucri squamæ. *c.* Flosculus, involucello cinctus. *d.* Flosculus involucelli orbatus. *e.* Receptaculum, squamis extimis deflexis, alteràque abscissâ.

TABULA 924.

ECHINOPS SPINOSUS.

Echinops caule albo-lanato, foliis sessilibus amplexicaulibus pinnatifidis subtùs incano-tomentosis suprà glabriusculis: laciniis triangularibus spinosis incisis margine revolutis, involucelli squamis piliformibus intermediis æqualibus v. subnullis: mediis intimisque acuminatis ciliato-spinulosis dorso glabris.

E. spinosus. *Linn. Mantiss.* 119.? *Prodr. v.* 2. 209.

E. Ritro. *Willd. Sp. Pl. v.* 3. 2397. *De Cand. Prodr. v.* 6. 524.

Echinopus creticus, capite magno aculeato. *Tourn. Cor.* 34.

In Cypro et Archipelagi insulis. ♃.

Caulis erectus, albo-lanatus, angulatus. *Folia* sessilia, amplexicaulia, sinuato-pinnatifida, margine revoluta, suprà viridia, glabriuscula, subtùs lanata, incana; *laciniis* spinosis, dentatis, lobis inferioribus reflexis sæpè dentiformibus. *Involucri* squamæ reflexæ, lineares, apice dilatatæ, cuneatæ, laceræ. *Involucelli* squamæ piliformes intermediarum longitudine, sæpè ferè deficientes; intermediæ spathulatæ, apice rhombeæ, acutæ, corneæ, margine obsoletè denticulatæ; intimæ ultimis duplò longiores, lineari-lanceolatæ, canaliculatæ, acuminatæ, basi serrulatæ. *Flosculi* albi.

Hanc inter speciem et *Echinopem Ritro* auctorum nullum verum invenio discrimen. In icone equidèm capitula solito majora depinguntur; sed, quantùm ex herbarii fragmentis dijudicare licet, a formâ vulgari vix diversa sunt.

a. Flosculus, involucello cinctus. *b. c. d.* Involucelli squamæ.
e. Flosculus, involucello dempto. *f.* Involucellum maturum, defloratum.

TABULA 925.

ECHINOPS LANUGINOSUS.

Echinops foliis pinnatifidis utrinque cauleque arachnoideis: laciniis lanceolatis subincisis ciliato-spinulosis, involucelli squamis piliformibus brevissimis mediis inciso-serratis intimis serrato-ciliatis dorso villosis.

E. lanuginosus. *Herb. Sibth.*

E. microcephalus. *Prodr. v.* 2. 209. *De Cand. Prodr. v.* 6. 523.

Circa Byzantium. ♃.

Caulis ramosissimus, angulatus, pilis longis mollibus villosus, ad apices ramorum usque



Echinops spinosus.



Echinops lanuginosus.



Echinops tenuissimus.

foliatus. *Folia* villosa, subtùs densiùs, amplexicaulia, pinnatifida, viridia; *laciniis* planis, incisis, apice spinâ gracili armatis et ciliato-spinulosis. *Capitula* in genere parva, pallidè cyanea, sessilia. *Involucri* foliola oblanceolata, incisa, apice spinosa. *Involucelli* pentagoni *squamæ* piliformes, brevissimæ et solito latiores, reliquæ imbricatæ, gradatìm longiores, acuminatæ, margine pectinatæ.

a. A. Involucellum, magnitudine naturali, et auctum. B. C. D. E. Involucelli squamæ, auctæ. *f*. Flosculus. *g*. Pedunculi apex, cum receptaculo et involucro reflexo.

TABULA 926.
ECHINOPS TENUISSIMUS.

Echinops foliis bipinnatifidis suprà glabriusculis subtùs incano-tomentosis: laciniis linearibus rigidis spinosis margine revolutis spinoso-denticulatis, involucelli squamis exterioribus planis abbreviatis: cæteris serrato-ciliatis, intimis in tubum pentagonum concretis.

E. tenuissimus. *Herb. Sibth.*

E. lanuginosus. *Prodr. v.* 2. 209. *Lam. Dict. v.* 2. 336. *Ic. t.* 79. *f.* 2. *Willd. Sp. Pl. v.* 3. 2398.

E. græcus. *Mill. Dict. v.* 3. *De Cand. Prodr. v.* 6. 526.

Echinopus græcus, tenuissimè divisus et lanuginosus, capite minori cœruleo. *Tourn. Cor.* 34.

Ἄκανθα λευκὴ *Diosc.?*

Circa Athenas. ♃

Caulis erectus, villosissimus, ramosissimus, foliis ad ramorum apicem usque densè tectus. *Folia* cinerea, sessilia, amplexicaulia, bipinnatifida; *laciniis* linearibus, tenuibus, spinosis, margine revolutis, denticulatis, suprà pilosis, subtùs incano-tomentosis. *Capitula* sessilia, cœrulea, solitaria. *Involucri* foliola linearia, acuminata, spinosa, basi latiora, margine pectinata, aut spinoso-dentata. *Involucelli* squamæ angustissimæ, spathulatæ, acutæ, breves, mox in majores carinatas serratas incisasque transeuntes; interiores lanceolatæ, semipinnatifidæ, spinosæ; intimæ in tubum concretæ, intùs discolorem, ovarium arctè cingentem.

a. Involucellum cum flosculo. *b. c.* Ejusdem squamæ. *d*. Flosculus seorsìm. *e*. Involucrum reflexum, cum receptaculo flosculis orbato.

GYNANDRIA MONANDRIA.

Anthera adnata, subterminalis.

ORCHIS.

Linn. Gen. Pl. 461. *Juss. Gen. Pl.* 65.

Perianthium pentaphyllum, sepalo superiore fornicato. *Labellum* basi subtùs calcaratum. *Anthera* terminalis adnata.

TABULA 927.
ORCHIS UNDULATIFOLIA.

Orchis foliis oblongo-lanceolatis undulatis obtusis, spicâ crassâ subcorymbosâ, sepalis acuminatis, labello calcare pendulo incurvo triplò longiore: laciniis omnibus linearibus acuminatis, bracteis brevissimis. *Lindl. Gen. et Sp. Orch.* 273.

O. undulatifolia. *Bivon. Bernard. Sic. cent.* 2. 44. *t.* 6.

O. tephrosanthos, β. undulatifolia. *Bot. Reg. t.* 375.

O. tephrosanthos. *Desfont. Fl. Atl. v.* 2. 318.

Οὐρὰ τȣ̃ ἀλεπȣ̃ *hodiè apud Cyprios.*

Σαρκινοβοτάνι *Messeniensium.*

In Caramaniâ, agro Messeniaco, et insulâ Cypro, haud infrequens. ♃.

Radix e tuberculis duobus constans ovalibus, indivisis, et fibris pluribus simplicibus carnosis intermixtis. *Caulis* erectus, pedalis ad sesquipedalem, basi foliatus, sursùm vaginis foliaceis cinctus, apice nudus. *Folia* plura, erecto-patula, oblonga, obtusa, undulata, caule multò breviora. *Racemus* densus, pyramidatus, 1—2-pollices longus. *Flores* rosei. *Sepala* ovata, acuta, striata, erecto-patula; postico minore. *Petala* obtusa, sepalis multò minora, supra antheram conniventia. *Labellum* dependens, oblongum, 5-fidum, medio album, sanguineo-punctatum, pubescens; *laciniis* linearibus, duabus lateralibus, tribusque terminalibus, quarum intermedia minor, subulata; *calcare* limbo breviore, recto, obtuso, pendulo, apice emarginato.

a. Flos integer, a fronte visus. *b.* Flos a latere visus, sepalis petalisque abscissis.



Orchis undulatifolia



Orchis papilionacea.

TABULA 928.

ORCHIS PAPILIONACEA.

Orchis scapo basi præcipuè folioso, foliis lineari-lanceolatis acutis arctè vaginatis, sepalis oblongis acutis, labello crenulato unguiculato calcari conico incurvo pendulo æquali. *Lindl. Gen. et Sp. Orchid.* 266.

O. papilionacea. *Prodr. v.* 2. 213. nec Linnæi. *Bot. Reg. t.* 1155.

O. rubra. *Jacq. Ic. Rar. v.* 1. *t.* 183. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 24.

O. expansa. *Tenore, Syllog.* 455.

O. orientalis et lusitanica, flore maximo, papilionem referente. *Tourn. Cor.* 30.

O. montana humilis, flore majore. *Buxb. Cent.* 3. 3. *t.* 3.

Ὄρχις *Dioscoridis.*

Σαρκινοβοτάνι *hodiè.*

Σαλέπι *vulgò.*

In saxosis et sabulosis Græciæ, ut a Dioscoride traditur, frequentissima. ♃.

Radix e tuberculis duobus sphæricis constans, et fibris pluribus carnosis simplicibus. *Caulis* palmaris, basi foliatus, supra folia vaginis duabus arctè appressis cinctus. *Folia* suberecta, tria inferiora lineari-lanceolata, canaliculata, duo superiora breviora et latiora. *Racemus* pauciflorus, laxus. *Bracteæ* magnæ, lanceolatæ, obtusiusculæ, erectæ, purpurascentes, ovario longiores. *Sepala* ovata, fusco-sanguinea, firma, obtusiuscula, cum petalis supra antheram conniventia. *Labellum* roseum, oblongum, indivisum, concavum, basi angustatum, margine crispum et crenulatum. *Calcar* teres, obtusum, pendulum, levitèr flexuosum, labelli longitudine.

a. Floris anthera et labellum, cum calcare suo.

OPHRYS.

Linn. Gen. Pl. 462. *Juss. Gen. Pl.* 65. *Brown. apud Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 5. 195.

Perianthium pentapetalum, patens. *Labellum* e basi columnæ, ecalcaratum, patens. *Anthera* terminalis adnata.

TABULA 929.

OPHRYS TENTHREDINIFERA.

Ophrys labello integerrimo subquadrato cuneato villoso appendiculato basi auriculato cornuto sub apice barbato disco glabro: appendice inflexâ, petalis ovatis acutis tomentosis, bracteis florum longitudine. *Lindl. Gen. et Sp. Orch.* 376.

O. tenthredinifera. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 67. *Bivon. Bernard. Sic. cent.* 2. 39. *t.* 4. *Bot. Reg. t.* 205. 1093. *Bot. Mag. t.* 1093.

O. villosa. *Desfont. in Ann. Mus. v.* 10. 225. *t.* 14.

O. grandiflora. *Tenore, Append. Alt.* 83. *Fl. Napolit. t.* 94.

Orchis orientalis, calyptrâ purpureâ, petalo inferiori atro-purpurascente, scuto ferri equini formâ. *Tourn. Cor.* 30.?

In insulâ Cypro. ♃.

Speciei hujus pulcherrimæ nihil in herbario restat nisi fragmenta quædam vermibus erosa. Tubercula radicum tomento induuntur.

TABULA 930.

OPHRYS FUSCA.

Ophrys labello mutico velutino oblongo trilobo: lobis lateralibus nanis intermedio emarginato, petalis glabris. *Lindl. Gen. et Sp. Orch.* 373.

O. fusca. *Link, in Schrad. Diar. Bot.* 1799. *v.* 2. 324. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 69. *Tenore, Fl. Napolit. v.* 2. 303. *t.* 92.

O. lutea. *Bivon. Bernard. Sic. cent.* 2. 41. *t.* 5.

Orchis fucum referens, flore subvirente. *Tourn. Inst.* 434.



Ophrys tenthredinifera



Ophrys fusca



Serapias Lingua

O. serapias secundus minor. *Dod. Pempt.* 238.

In agro Messeniaco et Argolico. ♃.

Ex herbario Sibthorpiano amissa est species, præcedenti similis, sed sepalorum et petalorum colore, labelli figurâ et glabritie majore, satis diversa.

A. Anthera a fronte visa, cum stigmate suo excavato, et petalis duobus, magnitudine aucta.
B. Eadem, a latere.

SERAPIAS.

Linn. Gen. Pl. 462. *Juss. Gen. Pl.* 65. *Brown. apud Ait. Hort. Kew. ed.* 2. *v.* 5. 194.

Perianthium connivens. *Labellum* ecalcaratum; basi concavum; lobo terminali maximo, dependente, indiviso.

TABULA 931.

SERAPIAS LINGUA.

Serapias labello ovato-lanceolato, epichilio basi pubescente, bracteis floribus brevioribus. *Lindl. Gen. et Sp. Orch.* 377.
S. Lingua. *Linn. Sp. Pl.* 1344. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 70. *Hooker, Exot. Fl. t.* 11.
Helleborine Lingua. *Pers. Synops. v.* 2. 512.
Orchis montana italica, linguâ oblongâ, altera. *Tourn. Inst.* 434.
Λόγχιτις *Dioscoridis.*

In apricis montibus Græciæ, necnon in Zacyntho insulâ. ♃.

Tubercula radicis subrotunda, integerrima, per collum elongatum cum caulis basi connata. *Caulis* palmaris ad pedalem, basi foliosus. *Folia* linearia, oblonga, canaliculata, obtusa, suberecta; scapo folium solitarium vaginans cucullatum in medio gerente. *Racemus* subspiralis, pauciflorus; *bracteis* oblongo-lanceolatis, canaliculatis, acuminatis, pallidè virentibus, margine et venis purpurascentibus, florum longitudine. *Flores* bilabiati. *Sepala* ovato-lanceolata, acuminata, bractearum colore, supra columnam in galeam conniventia et agglutinata. *Petala* conformia, sepalis adhæ-

rentia, angustiora et magìs acuminata, serrata, basi subcarnosa. *Labellum* ovato-lanceolatum, basi caudatum, medio pilis longis articulatis villosum, constrictum, et quasi bipartitum; *hypochilio* petalis breviore, cucullato, basi bilamellato, marginibus rotundatis atropurpureis; *epichilio* lanceolato, pendulo, sepalis multò longiore. *Columna* acuminata, lamellis longior, apice virecens.

a. Labelli facies, hypochilii marginibus vi deflexis, columnam et lamellas ostendentibus.
b. Labellum a latere, partibus suis in situ naturali.

TABULA 932.

SERAPIAS CORDIGERA.

Serapias labello cordato-ovato glanduloso-piloso, floribus congestis bractearum longitudine. *Lindl. Gen. et Sp. Orch.* 377.

S. cordigera. *Linn. Sp. Pl.* 1345. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 71. *Bot. Repos. t.* 475.

Helleborine cordigera. *Sebast. et Maur. Prodr. Fl. Rom. t.* x.

Serapias ovalis. *L. C. Richard, Orch. Europ. Annot.* 32.

Orchis montana italica, flore ferrugineo, linguâ oblongâ. *Tourn. Inst.* 434.

Σατύριον ἐρυθρόνιον *Dioscoridis? Sibth.*

In apricis montibus Græciæ; etiam inter Byzantium et pagum Belgrad. ♃.

Species pulcherrima, in herbario deficiens, *S. Linguæ* notis pluribus distincta; præsertìm *caule* altiore et basi maculato, *bracteis* floribus brevioribus, *petalis* duplò minoribus, integerrimis, nec acuminatis serratis hypochilio longioribus, labelli denique pilis longioribus per totam partis mediæ superficiem ad marginem usque conspersis.

a. Labellum a fronte visum, cum petalis, lamellis et columnâ.
b. Labellum a latere, cum petalis.
c. Columna, cum labelli lamellis, verosimilitèr separabilibus.



Serapias cordigera



Epipactis rubra.

** *Anthera terminalis opercularis.*

EPIPACTIS.

Brown apud Ait. Hort. Kew. ed. 2. *v.* 5. 201

Serapias. *Gærtn. t.* 14.

Anthera persistens. *Labellum* infernè ventricosum, medio constrictum.

TABULA 933.

EPIPACTIS RUBRA.

Epipactis foliis lanceolatis horizontalibus, bracteis infimis flore longioribus, sepalis patentibus, petalis erectis conniventibus, labelli epichilio cordato-hastato acuminato venis elevatis cristato.

E. rubra. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 86.

E. purpurea. *Crantz. Stirp. Austr.* 457.

Serapias rubra. *Linn. Syst. Veg. ed.* 14. 816. *Eng. Bot. t.* 437.

Cephalanthera rubra. *Rich. Orch. Europ. Annot.* 38.

Helleborine montana angustifolia purpurascens. *Tourn. Inst.* 436.

In montis Parnassi sylvosis. ♃.

Radix fibrosa, repens. *Caulis* pedalis ad sesquipedalem, ascendens, striatus, basi glaber, sursùm pubescens. *Folia* ensiformia, canaliculata, horizontalia, glabra, striata, basi amplexicaulia; infima latiora, breviora, imò squamiformia, vaginantia. *Racemus* tomentosus, gracilis, multiflorus, quaquaversus; *bracteis* lineari-lanceolatis, acuminatis, foliaceis, pubescentibus; infimâ flore suo longiore, cæteris brevioribus, summis setaceis. *Ovarium* pedicellatum, tomentosum. *Flores* purpurei. *Sepala* lineari-lanceolata, basi æqualia, patentia, dorso pubentia. *Petala* conformia, erecta, supra columnam conniventia, apice patula. *Labellum* pallidius et minùs purpureo-marginatum; *hypochilio* basi saccato, erecto, columnâ breviore, angulis suis acutiusculis; *epichilio* cordato-hastato, acuminato, pendulo, undulato, venis cristatis. *Columna* libera, semiteres, erecta. *Anthera* oblonga, terminalis, opercularis, bilocularis; *loculis* parallelis, approximatis, per medium lineâ elevatâ bipartitis. *Stigma* infundibulare, levitèr prominens.

a. Labellum et columna, a latere, sepalo dorsali remanente

b. Labellum et columna, obliquè a fronte visæ.

GYNANDRIA HEXANDRIA.

ARISTOLOCHIA.

Linn. Gen. Pl. 467. *Juss. Gen. Pl.* 73. *Gærtn. t.* 14.

Calyx tubulosus, ligulatus, basi ventricosus. *Corolla* 0. *Capsula* 6-locularis, polysperma, infera.

TABULA 934.

ARISTOLOCHIA SEMPERVIRENS.

Aristolochia foliis cordatis oblongis acuminatis coriaceis nitidis sempervirentibus, caule prostrato flexuoso subscandente, calyce incurvo infundibulari: limbo ovato acuto basi emarginato tubo breviore.


A. sempervirens. *Linn. Sp. Pl.* 1363. *Bot. Mag. t.* 1116. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 158.
Pistolochia cretica. *Bauh. Pin.* 307.
A. Pistolochia altera. *Tourn. Inst.* 162.
Pistolochia altera. *Clus. Hist. v.* 2. 260.

In insulâ Cretâ, ad sepes. ♃.


Caulis debilis, filiformis, angulatus, pallidè viridis, scandens, glaberrimus. *Folia* subcoriacea, nitida, glaberrima, sempervirentia, utrinque atro-viridia, cordata, sinu rotundato, acuminata; *petiolo* laminâ duplò breviore. *Flores* solitarii, axillares, nutantes, pedunculo apice decurvo petiolo longiore. *Calyx* sesquipollicaris, lutescens, purpureo-vittatus et limbatus, basi ovatus, ventricosus, angularis, tubo incurvo, apice in limbum ovatum, obliquum, apiculatum, basi emarginatum, tubo multò breviorem dilatato, intùs hirsuto, basi imâ atropurpureo. *Columna* brevis, sexdentata; *antheris* totidem, subrotundis, distantibus, dentibus oppositis.

Cum hac specie Aristolochiam glaucam, *Desfont. Atlant. t.* 252, et *Curt. Mag. t.* 1115, proculdubiò confudit Linnæus. *J. E. Smith.*

a. Flos, longitudinalitèr sectus, partes interiores ostendens.
B. Ovarium, cum columnâ stamineâ, magnitudine auctum.



Aristolochia sempervirens


d
c
b
a



Aristolochia pallida.

TABULA 935.

ARISTOLOCHIA PARVIFOLIA.

Aristolochia foliis cordatis obtusis emarginatis glaberrimis, caulibus decumbentibus flexuosis, calycis labio elongato torto. *Prodr. v.* 2. 222.

Aristolochia longa, folio minori subrotundo, flore tenuissimo. *Tourn. Cor.* 8, ex charactere.

A. Clematitis, No. 5. *Wheler, It.* 414, *cum ic.*

Ἀριστολόχια μακρὰ *Dioscoridis.*

Circa Athenas vulgaris; sed infrequens per totam Græciam. ♃.

Radix fusiformis, longa. *Caulis* debilis, prostratus, vix ultra pedem longus, angulatus, glaberrimus, pallidè viridis, flexuosus. *Folia* cordata, obtusa, magnitudine et formâ varia, glaberrima, subtùs glauca, venis elevatis reticulata, petiolis suis longiora, nunc subrotunda semipollicaria, nunc pollicaria basi dilatata. *Flores* solitarii, axillares; *pedunculo* ovarioque decurvis petiolo longioribus. *Calyx* fuscus, duos ferè pollices longus, gracilis, basi ventricosus; *tubo* arcuato, apice paululùm dilatato, intùs hirsuto; *limbo* lineari, acuto, plano, flexuoso, tubo duplò longiore, basi venoso, dilatato. *Columna* sexdentata, in cavitate atropurpureâ abscondita, *antheris* oblongis, approximatis. *Capsula* ficûs parvæ magnitudine et facie, virescens, purpureo-vittata; *pericarpio* coriaceo, sexvalvi; *seminibus* atris compressis, crassis, verrucosis, hinc sulcatis.

a. Flos integer. *b.* Ejusdem pars inferior, per longitudinem divisa.
C. Ovarium, cum columnâ stamineâ, magnitudine auctum.
d. Capsula, adhùc indehiscens.

TABULA 936.

ARISTOLOCHIA PALLIDA.

Aristolochia foliis subrotundo-reniformibus obtusissimis petiolatis: lobis divaricatis, caule erectiusculo flexuoso, pedunculis solitariis unifloris, calycibus erectis: limbo linguiformi obtuso tubo quatèr breviore.

A. pallida. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 162. *Waldst. et Kit. Pl. Hungar. v.* 3. *t.* 240.

A. rotunda β. *Linn. Sp. Pl.* 1364.

A. rotunda, flore ex albo purpurascente. *Tourn. Inst.* 162.

A. rotunda altera. *Clus. Hist. v.* 2. 70.

Ἀριστολόχια στρογγύλη *Dioscoridis.*

In sylvis et umbrosis Græciæ. ♃.

Radix rotunda, carnosa. *Caules* erecti, v. prostrati, flexuosi, pedales ad sesquipedales, angulati, levissimè pubescentes. *Folia* glaucescentia, sesquipollicem longa, subrotundo-reniformia, obtusissima, sinubus baseos latis rotundatis, petiolis suis duplò longiora, utrinque pilis minutissimis pubentia. *Flores* ferè 2-pollicares, erecti, solitarii, axillares, ovario quam petiolus longiore. *Calyx* viridis, rectus, basi conicus inflatus; *tubo* clavato, intùs glabro et purpureo vittato, apice constricto; *limbo* linguiformi, obtuso, apice unicolori, tubo quatèr breviore, nunc erecto, nunc inflexo. *Columna* alba, sexdentata, medio stigmate purpureo umbonata; *antheris* cuique denti oppositis, oblongis, loculis sejunctis. *Capsula* immatura viridis, obovata, ficûs facie, pendula.

a. Flos, per longitudinem sectus. B. Columna staminea, magnitudine aucta.

TABULA 937.

ARISTOLOCHIA HIRTA.

ARISTOLOCHIA foliis sinu lato auriculato-cordatis oblongis obtusis pubescentibus petiolatis, caule erecto hirto, pedunculis solitariis unifloris, calyce in seipsum reflexo: limbo dilatato concavo cordato apiculato hirsuto.

A. hirta. *Linn. Sp. Pl.* 1365. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 163.

Aristolochia longa subhirsuta, folio oblongo, flore maximo. *Tourn. Cor.* 8. *voy. v.* 1. 147. *cum icone.*

In insulâ Cypro. ♃.

Caulis pedalis et ultrà, pilosus, erectus, teres, simplex; junior hirsutior. *Folia* petiolata, hirsuta, sinu lato cordata, acuminata, obtusa, 2—3-pollices longa, atro-viridia, rugosa, subtùs venis elevatis pallida et hirsutiora; lobis lateralibus dilatatis, rotundatis. *Flores* in foliorum inferiorum axillis solitarii, pedunculo piloso deflexo penduli. *Ovarium* teretiusculum, angulatum, hirsutum, pedunculo duplò brevius. *Calyx* hirsutus, fusco-castaneus, sigmoideus, in seipsum recurvus; *tubo* ferè 3-unciali, hexangulari, basi ventricoso, subconico, olivaceo, intùs atropurpureo villoso; *limbo* dilatato, obliquo, cordato, apiculato, 2 pollices lato, atropurpureo, villosissimo. *Stamina* 6, in columnam capitatam, truncatam, sexcrenatam, pallidè flavam connata; *antheris* totidem, bilocularibus; lobis linearibus, basi divergentibus, columnæ faciebus adnatis. *Stigma* verticale, sexradiatum, planum; *radiis* columnæ crenis oppositis. *Capsula* (ex icone) subrotundo-oblonga, hirsuta, castanea, 2 pollices longa.

Staturâ variat, caule nunc palmari, nunc sesquipedali, foliis floribusque multò minoribus.

a. Flos integer, longitudinalitèr divisus, partes interiores ostendens.
B. Columna staminea, cum stigmate verticali sexradiato, magnitudine aucta
C. Capsula.



Aristolochia hirta.



Cytinus Hypocistis.

GYNANDRIA OCTANDRIA.

CYTINUS.

Linn. Gen. Pl. 566. *Juss. Gen. Pl.* 73.

Hypocistis. *Tourn. t.* 477.

Flores monoici. *Calyx* campanulatus, 4-fidus. *Corolla* 0. *Filamenta* connata; *antheræ* 8, biloculares. *Stylus* 1. *Stigma* capitatum, 8-sulcatum. *Bacca* 8-locularis, polysperma.

TABULA 938.

CYTINUS HYPOCISTIS.

Cytinus Hypocistis. *Linn. Syst. Nat. ed.* 12. *v.* 2. 602. *Cav. ic.* 2. 55. *t.* 171. *Desf. Fl. Atl. v.* 2. 326. *Tenore, Giorn. Encic. di Napol. v.* 1. 16. *cum ic.* *Brongniart in Ann. Sc. v.* 1. 29. *t.* 4.
Asarum Hypocistis. *Linn. Sp. Pl.* 633.
Asarum aphyllum squamosum. *Sauvag. Monsp.* 4.
Hypocistis flore luteo. *Tourn. Cor.* 46.
Ὑποκιστὶς *Dioscoridis.*

Ad Cistorum fruticosorum radices, in Græciâ et insulâ Cretâ. ♃.

Deest in Herbario.

a. Una e squamis, foliorum loco caulem vestientibus.
b. Flos masculus integer, bracteis binis oppositis suffultus.
c. Floris masculi integri pars, limbi laciniis tribus bracteisque abscissis, columnam stamineam ostendens.
D. Calycis masculi tubus, cum columnâ stamineâ, magnitudine auctus.

MONŒCIA PENTANDRIA.

MOMORDICA.

Linn. Gen. Pl. 506. *Juss. Gen. Pl.* 395. *Gærtn. t.* 88.

MASCULI. *Calyx* 5-fidus. *Corolla* 5-partita. *Filamenta* 3.

FŒMINEI. *Calyx* 5-fidus. *Corolla* 5-partita. *Stylus* trifidus. *Pepo* elasticè dissiliens.

TABULA 939.

MOMORDICA ELATERIUM.

MOMORDICA peponibus ellipticis hirsutis pedunculum vi expellentibus, foliis cordatis hispidis obtusis angulatis dentatis, caule cirrhis nullis.

M. Elaterium. *Linn. Sp. Pl.* 1434. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 605. *Curt. Mag. t.* 1914. *De Cand. Prodr. v.* 3. 311.

Elaterium cordifolium. *Mœnch. Meth.* 563.

Ecbalium officinale. *Nees et Ebermaier, Handb. der Off. Pfl. v.* 3. 101.

Cucumis sylvestris asininus dictus. *Tourn. Inst.* 104.

Σίκυς ἄγριος *Dioscoridis.*

Ἀγριαγκουριὰ *hodiè.*

In ruderatis ad pagos, Græciæ et Archipelagi, vulgaris. ⊙.

Caulis prostratus, hispidus, teres, carnosus; internodiis foliis brevioribus. *Folia* hispida, sinu lato cordata, angulata, sæpè subhastata, dentata, suprà rugosa, subtùs cinerea, venis elevatis scabris. *Flores fœminei* solitarii, axillares, erecti, pedunculo petiolis breviore; *masculi* corymbo denso paucifloro pedunculato congesti. *Sepala* viridia, linearia, acuminata, hispida. *Corolla* viridi-straminea, campanulata, venis viridibus picta; *limbo* patulo, 5-partito. *Stamina* 3, distincta; *antherarum* lobis connectivo carnoso tenui sejunctis, reniformibus, aurantiacis. *Stigmata* 3, linearia, acuta, bis bifida. *Ovarium* ovale, pilis adpressis hispidum. *Pepo* pendulus, virescens, pilis rigidis hispidus, sesquipollicem longus, maturus a pedunculo deciduus et sponte suâ semina pulpâ mucilagineâ intermixta vehementèr ejaculans.

a. Ovarium, calyce stigmatibusque coronatum. *b.* Calyx masculus, cum staminibus.
c. Anthera, magnitudine aucta.



Momordica Elaterium.



Bryonia erecta

BRYONIA.

Linn. Gen. Pl. 508. *Juss. Gen. Pl.* 394. *Gærtn. t.* 88. *De Cand. Prodr. v.* 3. 304.

Masculi. *Calyx* 5-dentatus. *Corolla* 5-partita. *Filamenta* 3.

Fœminei. *Calyx* 5-dentatus. *Corolla* 5-partita. *Stylus* 3-fidus. *Bacca* subglobosa, polysperma.

TABULA 940.

BRYONIA CRETICA.

Bryonia dioica, foliis digitatis palmatisque muricato-scabris: laciniis incisis, petiolis glabris, pedunculis masculis effusis multifloris, fructibus racemosis congestis sphæricis viridibus albo-maculatis.

B. cretica. *Linn. Sp. Pl.* 1439.? *Prodr. v.* 2. 236.

Ἄμπελος λευκὴ *Dioscoridis, omninò*; *Sibth.*

Ἀγριόκλημα, ἢ ἀγριοκολοκυθιὰ *hodiè.*

In sepibus Græciæ, et insularum circumjacentium, frequens. ♃.

Caules filiformes, angulati, pilis muricatis in sicco candidis parcè armati. *Cirrhi* simplices, spirales. *Folia* utrinque callis duris in sicco candidis scabra; nunc palmata, cordata, incisa, omninò *Vitis viniferæ* figurâ; nunc digitata, laciniis angustis acutis trifidis vel in junioribus indivisis. *Flores masculi* in racemo laxo, foliis longiore, dispositi; *corollæ* laciniis obtusis, pallidè virentibus, venosis. *Antheræ* 3, connatæ, pubescentes, biloculares; *loculis* sigmoideo-flexis: cruribus longioribus parallelis approximatis. *Flores fœminei* in racemo compacto brevi ordinati; *calycis* tubo stipitiformi, limbo basi intruso, 5-fido, glabro, laciniis linearibus obtusis. *Corolla* maris. *Stylus* filiformis, glaber, calyce longior; *stigma* 3-partitum, laciniis basi emarginatis. *Fructus* virides, pisiformes, albo maculati.

De verâ hujus plantæ synonymiâ dubius sum. *B. creticæ,* ex descriptione in *Horto Cliffortiano,* retulit cel. Smithius, nec sine causâ; speciei tamen Fontanesii, sub hoc nomine in libris receptæ, omninò diversa videtur, floribus fœmineis racemosis necnon foliorum lobis incisis. Nec *B. acutæ* Fontanesii, cujus exemplar ex Algeriâ coràm habeo, referenda; cui folia parùm calloso-muricata, figurâ loborum valdè disi mili.

A. Staminum columna, magnitudine aucta. B. Unus e loculis antherarum seorsìm, auctus.
C. Flos fœmineus, corollâ orbatus, auctus.

MONŒCIA POLYANDRIA.

THELYGONUM.

Linn. Gen. Pl. 494. *Juss. Gen. Pl.* 405. *Nees ab Esenb. Gen. Pl. t.* 69.

MASCULI. *Calyx* 2-fidus. *Corolla* 0. *Stamina* 6—20.

FŒMINEI. *Calyx* bibracteolatus, spathaceus, membranaceus, dorso ruptus. *Corolla* 0. *Stylus* basalis. *Achænium* coriaceum, 1-loculare, 1-spermum.

TABULA 941.
THELYGONUM CYNOCRAMBE.

THELYGONUM Cynocrambe. *Linn. Sp. Pl.* 1411. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 420.
Cynocrambe Dioscoridis. *Tourn. Cor.* 52.
Κυνία, ἢ *κυνοκράμβη*, *Dioscoridis.*
Τζινγάκι, ἢ ξινκόχορτον, hodiè.

In ruderatis umbrosis, vel rupium fissuris, Græciæ et insulæ Cretæ. ☉.

Radix annua, fibrosa. *Caulis* decumbens, vel prostratus, teres, rubescens, carnosus, infra nodos pubescens, cæterùm glaber. *Folia* subsucculenta, viridia, nitida, ciliata, petiolata, ovata; *petiolo* alato, basi dilatato, amplexicauli, sæpiùs in axillâ prolifero. *Flores* monœci, axillares, intra petioli basin absconditi. MASCULI. *Calyx* tubulosus, bilabiatus, membranaceus; *labiis* revolutis indivisis, superiori acuminato dentato. *Stamina* ex icone Baueri sex, filamentis debilibus, tubo calycis longioribus. FŒMINEI in pedicellum minimum tuberculiformem elevati, utrinque bracteolâ minutâ acuminatâ stylo proximâ suffulti. *Calyx* membrana simplex, tenuis, pistillum totum vestiens, demùm sub antheræ dorso rupta et circa styli basin collapsa. *Ovarium* obovatum; *stylo* simplici, laterali; *ovulo* solitario erecto. *Achænium* obovatum, pedicello fungoso elevatum, subcarnosum, vel coriaceum, sub epidermide copiâ crystallorum acicularium maximâ in fasciculis ordinatâ verrucosum; *endocarpio* subcrustaceo. *Semen*



Thelygonum Cynocrambe



Poterium villosum

erectum, reniforme, funiculo suo intruso et testæ cavitatem ferè bipartiente; *albumen discolor*, carnosum; *embryo* hippocrepicus, in albuminis medio, *radiculâ* tereti *cotyledonibus* compressis planis æquali.

A. Flos masculus; B. fœmineus, cum bracteolis suis; magnitudine aucti.
c. C. Achænium, magnitudine naturali et auctum.

POTERIUM.

Linn. Gen. Pl. 495. *Juss. Gen. Pl.* 336.

Pimpinella. *Gærtn. t.* 32.

MASCULI. *Bracteæ* 4. *Calyx* 4-partitus. *Corolla* 0. *Stamina* 30—50.

FŒMINEI. *Bracteæ* et *Calyx* maris. *Carpella* 2. *Fructus* carnosus, e tubo calycis indurato.

TABULA 942.

POTERIUM VILLOSUM.

POTERIUM inerme, caulibus sulcato-angulosis hirtis, foliolis oblongis dentato-incisis, capitulis globosis. *Prodr. v.* 2. 238. *De Cand. Prodr. v.* 2. 595.
Pimpinella orientalis villosissima. *Tourn. Cor.* 8.

Circa Byzantium. ♃.

Caules sesquipedales, erecti, sulcati, pilis longis mollibus hirti, eglandulosi, apice paniculati. *Folia* sessilia, villosa, pinnata, 7—8-juga, exstipulata, saltèm stipulis nullis à foliolis distinguendis; *foliolis* viridibus, oblongis, incisis, basi integris; *jugis* inferioribus approximatis, superioribus inter se distantibus; *suprema* sensìm in bracteis parvis simplicibus mutata. *Flores* in capitulis parvis globosis ordinati, *pedunculo* longo, minùs villoso, nudo, sæpiùs simplici insidentibus; basi masculis, apice fœmineis. *Bracteæ* quaternatìm sub floribus dispositæ, membranaceæ, obovatæ, pilosæ. MASCULI: *calyce* coriaceo, viridi, quadripartito, extùs pubescente; *staminibus* plurimis, *filamentis* tenuibus debilibus, *antheris* subrotundis. FŒMINEI: *calyce* minore, tubo tetragono, limbo 4-partito, viridi, intùs glabro; *stigmate* exserto, purpureo, penicillato. *Fructus* ovatus, corrugatus, tetragonus, glaber, e tubo calycis indurato achænium includente compositus.

A. Bracteæ, quaternatìm dispositæ, magnitudine auctæ.
b. B. Flos fœmineus; *c.* C. masculus, magnitudine naturali et aucti.

TABULA 943.

POTERIUM SPINOSUM.

Poterium fruticosum, ramis intricatis spinescentibus, foliis multijugis, foliolis subrotundis incisis convexis glabris, spicis oblongis, calycis tubo baccato.

P. spinosum. *Linn. Sp. Pl.* 1412. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 423. *De Cand. Prodr. v.* 2. 594.

Stœbe legitima, Dioscoridis. *Clus. Hist. v.* 2. 303.

Pimpinella spinosa, seu sempervirens. *Tourn. Inst.* 157.

Στοιβὴ *Dioscoridis.*

Αστοῖϐη, ἢ αφάννα *hodiè.*

In collibus siccis, ad mare, Græciæ et Archipelagi, vulgaris. ♄.

Frutex ramosus, rigidus, intricatus, 1—2 pedes altus. *Rami* adulti calami scriptorii magnitudine, fusci, corticis epiphlœo deciduo lacero vestiti; juniores pubescentes, nunc in parte fruticis superiori floridi, nunc in inferiori in spinis furcatis abeuntes. *Folia* coriacea, pinnata, angustissima, atroviridia; *stipulis* rigidis, dentiformibus, apice herbaceis; *foliolis* multijugis, subrotundis, incisis, convexis, suprà glabriusculis, subtùs villosis. *Flores* unisexuales, spicati, basi discreti; *pedunculo* communi aphyllo, piloso insidentes. *Bracteæ* quaternæ, ovatæ, pilosæ, pallidè virides, margine sanguineæ. *Calycis limbus* 4-partitus, glaber; *laciniis* oblongis, apiculatis, convexis, margine coloratis, membranaceis, in tubum pubescentem ipsis breviorem reflexis. *Stamina* indefinita, *filamentis* exsertis, debilibus, roseis, *antheris* subrotundis, luteis. *Ovaria* sæpiùs cuique calyci 2, *stylis* filiformibus, *stigmatibus* exsertis, penicillatis, roseis. *Fructus* spicati, testacei, sphærici, grani piperis magnitudine, carnosi, limbo calycis toto deciduo, *achœnia* omninò includentes.

a. Bracteæ magnitudine auctæ. *b.* B. Flos masculus; *c.* C. fœmineus, magnitudine naturali, et aucti. *d.* Fructuum racemus. *e.* Fructus seorsìm.



Poterium spinosum.



Quercus coccifera

QUERCUS.

Linn. Gen. Pl. 495. *Juss. Gen. Pl.* 410. *Gærtn. t.* 37.

MASCULI. *Calyx* 5-fidus ferè. *Corolla* 0. *Stamina* 5—10.

FŒMINEI. *Calyx* superus, obsoletè 5-fidus. *Corolla* 0. *Styli* 2—5. *Nux* coriacea, cupulâ persistente basi cincta.

TABULA 944.

QUERCUS COCCIFERA.

QUERCUS foliis oblongis spinoso-dentatis basi cordatis utrinquè glabris, cupulâ sessili hemisphæricâ squamis linearibus induratis patulis, glande elongatâ basi angustatâ cupulam longè superante.

Q. coccifera. *Linn. Sp. Pl.* 1413. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 433.

Ilex aculeata cocciglandifera. *Tourn. Inst.* 583.

Πρῖνος *Dioscoridis.*

Πιρνάρι *hodiè.*

In Græciâ omni, et insulis vicinis, vulgatissima hujus generis species. ♄.

Rami rigidi, glabri, cinerei; *ramuli* pube stellatâ scabri. *Folia* petiolo brevi pubescente inserta, coriacea, oblonga, spinoso-serrata, basi cordata aut rotundata, internodiis multò longiora. *Spicæ masculæ* villosæ, pallidè virides, aggregatæ, $1\frac{1}{2}$—2 pollices longæ; *calycibus* 5-partitis: *staminibus* laciniis calycis oppositis. *Cupulæ* sessiles, geminatæ, induratæ, glandulis triplò breviores; *squamis* linearibus, patulis, rigidis, obtusis, sericeis. *Glandes* oblongæ, basi angustatæ, ultra pollicem longæ.

a. A. Flos masculus, magnitudine naturali et auctus. *b.* Cupula.
c. Glans. *d.* Eadem, transversìm secta.

PLATANUS.

Linn. Gen. Pl. 498. *Juss. Gen. Pl.* 410. *Gærtn. t.* 90.

MASCULI. *Amentum* globosum. *Calyx* 0. *Stamina* cuneata, paleis intermixta.

FŒMINEI. *Amentum* globosum. *Calyx* 0. *Carpella* paleis intermixta. *Ovarium* pilosum, 1-loculare; *ovulum* pendulum; *stylus* conicus, apice attenuatus, uncinatus. *Achænia* obovata, uncinata, basi pilis circumdata, a receptaculo areolato decidua.

TABULA 945.

PLATANUS ORIENTALIS.

PLATANUS foliis 5-partitis palmatis basi cuneatis truncatisque; laciniis lanceolatis incisis.
P. orientalis. *Linn. Sp. Pl.* 1417. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 473.
P. orientalis verus. *Tourn. Inst.* 590.
Πλάτανος *Dioscoridis.*
Πλατάνος *hodiè.*

In humidis, ad fluviorum ripas, Græciæ et insularum adjacentium. ♄.

Arbor vasta, corticis epiphlœo osseo, in laminas angulatas decidente. *Rami* cinereo-testacei, flexuosi, teretes, *juniores* villosi. *Folia* magna, *petiolo* longo, pubescente, tereti, basi tumido inserta, palmata, semiquinquepartita, utrinque glabra, suprà lævia, subtùs reticulata, pube secus venas parcâ; basi nunc omninò truncata, nunc petiolum versus paulò producta, nunc longè cuneata et secus venas densè barbata; *laciniis* altè et inæqualitèr incisis. *Amenta fructifera* sphærica 3—4 secus pedunculum pubescentem pendulum equidistantèr disposita, villosa, mucronibus rigidis achæniorum muricata.

a. A. Flos fœmineus, magnitudine naturali et auctus.
b. Receptaculum fructûs achæniis omnibus amotis.
c. C. Achænium, magnitudine naturali, et auctum.



Platanus orientalis.



Arum Dracunculus



Arum Dioscoridis.

ARUM.

Linn. Sp. Pl. 470. *Juss. Gen. Pl.* 24. *Gærtn. t.* 84.

Spatha monophylla, cucullata. *Spadix* suprà nudus, infernè fœmineus, medio stamineus.

TABULA 946.

ARUM DRACUNCULUS.

Arum foliis pedatis integerrimis petiolo maculato multò brevioribus: laciniis lanceolatis undulatis, spadice tereti acuminato obtuso spathâ glabrâ apertâ acuminatâ erectâ breviore.

A. Dracunculus. *Linn. Sp. Pl.* 1367. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 478.

Dracunculus vulgaris. *Schott et Endlich. Meletem. Botan. p.* 17.

Dracunculus polyphyllus. *Tourn. Inst.* 160.

Δρακόντιον *Dioscoridis.*

Δρακοντιὰ, ἢ φιδόχορτον *hodiè.*

In umbrosis, ad sepes Græciæ, frequens. ♃.

Deest in herbario Sibthorpiano.

a. Spadix seorsìm.

TABULA 947.

ARUM DIOSCORIDIS.

Arum acaule, foliis hastatis integerrimis: lobis acutis divaricatis, spathâ obliquâ acuminatâ. *Prodr. v.* 2. 245.

Ἄρον *Dioscoridis.*

Ἀγριοκολυκυθιὰ *hodiè.*

In insulæ Cypri cultis, inter segetes, vulgaris. ♃.

Radix cocta esculenta. *J. E. Smith.*

Hujus speciei vestigium nullum inter Sibthorpii plantas siccas restat. Verum est *Arum* secundum Schottii systema, *A. maculato* vulgatissimo proximum, sed staturâ multò majore, foliis verè hastatis acuminatis, necnon spathâ apertâ acuminatâ intùs maculatâ quasi *Dracunculum* æmulante satìs diversum.

a. Spadix, spathâ abscissâ.
B. Anthera, magnitudine aucta.
C. Ovarium, auctum.
D. Paranthium, seu ovarium abortivum, auctum.

TABULA 948.

ARUM ARISARUM.

Arum acaule, foliis tenuibus oblongis subundulatis hastato-sagittatis, lobis obtusis, spadice cylindraceo incurvato, spathâ cucullatâ striatâ apice inflexâ: limbo tubo integro æquali spadice longiore.

A. Arisarum. *Linn. Sp. Pl.* 1370. *Willd. Sp. Pl.* 4. *p.* 485. *Jacq. Hort. Schönbr. v.* 2. 34. *t.* 192.

Arisarum vulgare. *Schott et Endlich. Meletem. Botan. p.* 16.

Arisarum latifolium majus. *Bauh. Pin.* 196. *Tourn. Inst.* 161.

Ἀρίσαρον *Dioscoridis.*

Δρακοντιὰ *hodiè.*

In umbrosis montosis Græciæ, haud infrequens. ♃.

Tubera subrotunda, carnosa, nucis Avellanæ magnitudine, nunc solitaria, nunc in corpus moniliforme rhizomate mediante connexa. *Folia* tenera, pallidè viridia, hastato-cordata, petiolis pluriès breviora: *lobis* lateralibus obtusis, intermedio acuto. *Scapus* spatham elevans petiolis æqualis. *Spatha* albida, venis roseis vittata, duos circitèr pollices longa; *tubo* integerrimo, nec lateralitèr fisso et convoluto, *limbo* oblongo inflexo spadice longiore æquali. *Spadix* albus, gracilis, incurvus, spathâ brevior; basi fœmineus, sursùm stamineus, ultra medium clavatus et nudus. *Stamina* plurima, distantia, spadici ferè perpendicularia; *filamento* subulato; *antherâ* subrotundâ, rimâ obliquâ unilaterali dehiscente. *Paranthia* nulla. *Ovaria* pauca, viridia, depressa, pentagona, verticillis duobus ad spadicis basin disposita. *Pericarpia* matura olivacea, spathâ libera, subrotunda, pentagona, vertice depresso-conica, stigmatis vestigiis umbonata, papyracea, unilocularia; *semine* solitario erecto, aliisque abortivis corrugatis; matura non vidi.

a. Spadix, spathâ abscissâ.



Arum Arisarum



Pinus maritima

MONŒCIA MONADELPHIA.

PINUS.

Linn. Gen. Pl. 499. *Juss. Gen. Pl.* 414. *Gærtn. t.* 91.

MASCULI. *Flores* nudi, monandri, in spicâ densâ dispositi. *Antheræ* biloculares, cristatæ.

FŒMINEI. *Flores* nudi, basi bracteati, carpello explanato ovulisque inversis nudis; in *strobilum* ligneum coadunati. *Semina* alâ membranaceâ aucta.

TABULA 949.

PINUS MARITIMA.

PINUS foliis geminis tenuissimis serrulatis pallidè viridibus, strobilis ovatis obtusis glabris subsessilibus, squamarum apice rhombeo depresso glabro plano medio cinereo.

P. maritima. *Lambert Monogr. Pin.* 13. *t.* 10. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 497. *Steven, in Mem. Mosqu. p.* 48.

P. halepensis. *Ait. Kew. v.* 3. 367. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 496. *Lambert Monogr. Pin.* 15. *t.* 11.

Πεύκη *Dioscoridis.*

Πεῦκος *hodiè.*

In depressis arenosis siccis Græciæ ubiquè occurrit. In Elide præcipuè luxuriat. *D. Hawkins.* ♄.

Folia gemina, tenuia, glaberrima, margine cartilagineo-serrulata. *Spicæ* masculæ aggregatæ, basi squamulis deciduis scariosis ciliatis cinctæ. *Antheræ* horizontales, biloculares, apice cristâ membranaceâ ascendente obsoletè serrulatâ rotundatâ auctæ. *Strobilus* pendulus, subsessilis, vix 2 pollices longus, ovatus, obtusus, castaneus; squamis rhomboideis, nunc angulis lateralibus truncatis hexagonis, depressis, limbo lucidis, disco cinereis opacis, omninò planis, nisi linea minuta elevata transversa.

Materiam navalem optimam, usitatissimam, necnon picem et terebinthum, præbet. Hæc unica hujusce generis species in Cypro invenitur. *Sibth.*

a. Spica mascula.
b. Bracteæ ad basin ejusdem sitæ, auctoribus quibusdam pro calyce habitæ.
C. Spicæ talis pars superior, magnitudine aucta.
D. E. Antheræ, magnitudine auctæ.

CROTON.

Linn. Gen. Pl. 502. *Juss. Gen. Pl.* 389. *Gærtn. t.* 107.

MASCULI. *Calyx* cylindricus, 5-dentatus. *Petala* 5. *Stamina* 10—15.

FŒMINEI. *Calyx* polyphyllus. *Petala* 0. *Styli* 3, bifidi. *Capsula* 3-locularis. *Semen* 1.

TABULA 950.

CROTON TINCTORIUM.

CROTON foliis ovato-rhombeis repandis obtusis basi integerrimis utrinquè canis, racemis terminalibus axillaribusque basi fœmineis, capsulis lepidotis pubescentibus pendulis.

C. tinctorium. *Linn. Sp. Pl.* 1425. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 538.

Crozophora tinctoria. *Adr. Juss. Euphorb. Monogr.* 27. *Nees ab Esenb. Gen. Pl. cum icone.*

Heliotropium tricoccum. *Bauh. Pin.* 253.

Ricinoides ex quâ paratur *Tournesol* Gallorum. *Tourn. Inst.* 655.

Ἀγριοφασκιὰ *Lemniorum.*


In Cretâ et Lemno insulis. ⊙.

Radix annua, fibrosa. *Caulis* palmaris, erectus, ramosus, teres, basi pubescens, sursùm pilis stellatis hispidus. *Folia* longè petiolata, obtusa, rhombea, repanda aut ovata, subundulata et levitèr sinuata, juniora cum petiolis incana, stellatìm pilosa, adulta cinereo-glauca, glabrata. *Racemi* terminales et axillares, erecti, basi fœminei, apice masculi. MASCULI: *Calyx* stellatìm pilosus, 5-partitus, æstivatione valvatâ. *Petala* 5, lineari-lanceolata, calyce longiora, lutea. *Stamina* 10, monadelpha. FŒMINEI: *Calyx* 10-partitus, laciniis linearibus acutis, lanugine maris. *Petala* nulla. *Styli* 3, lineares, bifidi. *Fructus* in herbario desideratur.

a. A. Flos masculus, magnitudine naturali et auctus.
B. Flos fœmineus, magnitudine auctus.
b. Flores duo fœminei.
c. Capsula matura.
d. Una e capsulæ valvulis, semiloculo altero seminifero.
e. Semen.



Croton tinctorium



Croton villosum

TABULA 951.

CROTON VILLOSUM.

Croton foliis ovatis repandis canis, pedunculis fructiferis elongato-deflexis, capsulis squamatis, floribus pentandris. *Prodr. v.* 2. 249.

Ricinoides ex quâ paratur *Tournesol* Gallorum, folio oblongo et villoso. *Tourn. Cor.* 45.

Ἡλιοτρόπιον τὸ μικρὸν *Dioscoridis.*

Ἡλιοτρόπιον *hodiè.*

Circa Athenas. ⊙.

Radix annua, subsimplex, albida. *Caulis* spithamæus, a basi ramosus, pilis stellatis densis canus; *ramis* brachiatis, rigidis. *Folia* ovata, acuta, plana, margine inæqualia, vix autèm dentata, pilis stellatis densè villosa, petiolis suis longiora. *Racemi* axillares, multiflori, basi feminei, apice masculi. *Flores* Fœminei longè pedunculati, divaricati; *sepalis* 9, inæqualibus, linearibus, erectis, villosissimis; *ovario* squamis latis, albidis, circularibus densè tecto; *stylis* 3, stellato-pilosis, bipartitis, erectis. *Flores* Masculi sessiles, aggregati. *Sepala* 5, linearia. *Petala* totidem lutea, linearia, apice revoluta, sepalis paulò longiora. *Stamina* in columnam centralem connata, ovarii rudimento nullo. *Capsula* calyce suffulta, 3-cocca, fusca, glabra, squamis distantibus circularibus lepidota.

a. A. Flos fœmineus. *b.* B. Flos masculus, magnitudine naturali et aucti.
c. Pili stellati quibus partes omnes virides vestiuntur.
d. Staminum columna.
e. Capsula.
f. Ejusdem coccus alter.
g. G. Semen, magnitudine naturali et auctum.

RICINUS.

Linn. Gen. Pl. 503. *Juss. Gen. Pl.* 388. *Gærtn. t.* 107. *Adr. de Juss. Euphorbiac.* 36.

Masculi. *Calyx* 5-partitus. *Corolla* nulla. *Stamina* numerosa.

Fœminei. *Calyx* 3-partitus. *Corollà* nulla. *Styli* 3, bifidi. *Capsula* 3-locularis, 3-sperma.

TABULA 952.

RICINUS COMMUNIS.

Ricinus foliis peltatis palmatis: lobis lanceolatis serratis, caule flexuoso herbaceo pruinoso, stigmatibus tribus, capsulis echinatis.

R. communis. *Linn. Sp. Pl.* 1430. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 564. *Nees et Eberm. Pl. Med. t.* 140.

R. vulgaris. *Tourn. Inst.* 532. *Blackw. Herb. t.* 148.

Κίκι, ἢ κρότων *Dioscoridis.*

Κροτωνεῖα *Cypriorum.*

Κολλοκικι *Eliensium.*

In Cretâ et Cypro; necnon in variis Græciæ locis; in ruderatis suburbanis. ⊙.

Caulis erectus, robustus, ramosus, annulatus, brevè articulatus; undiquè pruinâ glaucâ persistente tectus, *medullâ* cylindraceâ, fistulosâ farctus. *Folia* palmata, peltata, petiolis breviora, utrinquè glaberrima, viridia; *lobis* lanceolatis, inæqualitèr serratis, acuminatis, *serraturis* sub apice in paginâ inferiore materiem viscidam secernentibus. *Petioli* pruinosi, sub apice glandulâ orbiculari concavâ notati, basi *stipularum* cicatrice annulati. *Stipulæ* oblongæ, convexæ, in unam oppositifoliam deciduam connatæ. *Partes* reliquæ in herbario deficiunt.

a. Flos fœmineus. *b.* Flos masculus.
c. Capsula immatura. *d.* Semen.



Ricinus communis.



Andrachne Telephioides.

ANDRACHNE.

Linn. Gen. Pl. 509. *Juss. Gen. Pl.* 387. *Gærtn. t.* 108. *Adr. de Juss. Euphorbiac.* 24.

Masculi. *Sepala* 5. *Petala* 5, interjectis squamulis 5 bipartitis aut nullis. *Stamina* totidem monadelpha.

Fœminei. *Sepala* 5. *Petala* nulla aut squamiformia. *Styli* 3. *Capsula* 3-locularis, 6-sperma. *Semina* punctata.

TABULA 953.

ANDRACHNE TELEPHIOIDES.

Andrachne caulibus prostratis, foliis ovalibus auctis, petalis omnibus emarginatis.
A. Telephioides. *Linn. Sp. Pl.* 1439. *Vahl. Symb. v.* 2. 99. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 628.
Limeum humile. *Forsk. Descript.* 79.
Eraclissa hexagyna. *Forsk. Descript.* 208.
Telephioides græca humifusa, flore albo. *Tourn. Cor.* 50.

In petrosis insularum Græcarum. ⊙.

Deest in herbario.

a. A. Flos masculus. *b.* B. Flos fœmineus, magnitudine naturali et aucti.
C. Ovarium, cum petalis squamæformibus, a vertice inspectum, magnitudine auctum.
d. Capsula calyce cincta. E. Capsula seorsìm, aucta.
f. F. Semen, magnitudine naturali et auctum.

DIŒCIA TRIANDRIA.

OSYRIS.

Linn. Gen. Pl. 515. *Juss. Gen. Pl.* 75. *Endlich. Gen. Pl. No.* 2078.

MASCULI. *Calyx* trifidus. *Corolla* nulla.

FŒMINEI. *Calyx* trifidus. *Corolla* nulla. *Stylus* 1. *Stigma* subsimplex. *Pericarpium* baccatum, inferum, uniloculare.

TABULA 954.

OSYRIS ALBA.

OSYRIS alba. *Linn. Sp. Pl.* 1450. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 715. *Koch. Fl. Germ.* 623. *Nees ab Esenb. Gen. Pl. c. ic.*

Casia poëtica monspeliensium, an Theophrasti. *Tourn. Inst.* 664.

Ὄσυρις *Dioscoridis*?

Πλευροτόξυλον *hodiè.*

In Græciâ et Archipelagi insulis; etiam in monte Athô. ♄.

Frutex humilis, junceus, glaber, glaucescens; *ramis* vetustis tortuosis, erectis, atrofuscis, breviarticulatis; *ramulis* angulatis, striatis, strictissimis, sæpè apice priusquàm basi defoliatis. *Folia* alterna, linearia, apiculata, basi angustata, vix semipollicem longa, suprà lævia avenia, subtùs obsoletè carinata, petioli brevissimi torsione verticalia, internodiis paulò longiora. *Flores* et *Fructus* in herbario desunt.

a. A. Flos masculus, magnitudine naturali et auctus. *b*. Ramulus cum fructu.
c. Fructûs sectio transversalis. *d*. Semen.



Osyris alba.



Ruscus Hypoglossum.

RUSCUS.

Linn. Gen. Pl. 534. *Juss. Gen. Pl.* 42. *Gærtn. t.* 16. *Endlich. Gen. n.* 1188. *Nees ab Esenb. Gen. c. ic.*

Masculi. *Sepala* 3. *Petala* 3. *Stamina* in cylindrum connata centrale, ovatum, apice perforatum.

Fœminei. *Sepala* et *Petala* maris. *Ovarium* 3-loculare. *Stylus* brevis. *Bacca* abortu unilocularis, submonosperma.

TABULA 955.

RUSCUS HYPOGLOSSUM.

Ruscus ramis foliaceis oblongis multinerviis utrinquè acuminatis ramulum similem multò minorem basi uniflorum e medio proferentibus.

R. Hypoglossum. *Linn. Sp. Pl.* 1474. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 875. *Koch Fl. Germ.* 706.

R. angustifolius, fructu folio innascente. *Tourn. Inst.* 79.

Δάφνη Ἀλεξανδρεία *Dioscoridis.*

In dumetis ad mare Euxinum; necnon in monte Athô. ♃.

Rhizoma breve, carnosum, pallidè testaceum, radices longas simplices annuas proferens, fabricâ internâ omninò endogeneâ: fasciculis fibro-vascularibus per materiem medullarem subæqualitèr conspersis. *Caules* annui, erecti, spithamæi, ultra medium aphylli, mòx angulati, flexuosi; *ramis* planis, multinerviis, ovalibus, aut oblongis, utrinquè acuminatis, viridibus, omninò folia referentibus, nùnc oppositis, imò verticillatis, sæpiùs tamen alternis; *ramulis,* si adsunt, ejusdem formæ et coloris, e medio ramorum erumpentibus, solitariis, basi floridis. *Folia* squamæformia, linearia, sicca, scariosa, basi ramorum sita, ramulorum deficientia. *Flores* dioici, parvi, pallidè virides, e gremio ramulorum inter squamulas scariosas imbricatas producti, pedicellati, fasciculati; unico tantùm eodem tempore aperto. Cætera in herbario deficiunt.

a. Rami et ramuli masculi, floriferi.
b. B. Flos masculus, magnitudine naturali, et auctus.
c. Bacca.
d. Unum e seminibus.

DIŒCIA PENTANDRIA.

PISTACIA.

Linn. Gen. Pl. 518.

Terebinthus. *Tourn. t.* 345. *Juss. Gen. Pl.* 371.

MASCULI. *Calyx* 5-fidus. *Corolla* nulla.

FŒMINEI. *Calyx* 3-fidus. *Corolla* nulla. *Styli* 3. *Drupa* monosperma.

TABULA 956.
PISTACIA TEREBINTHUS.

PISTACIA foliis impari-pinnatis 3—5-jugis, foliolis oblongis mucronulatis utrinquè rotundatis.

P. Terebinthus. *Linn. Sp. Pl.* 1455. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 752. *De Cand. Prodr. v.* 2. 64.

Terebinthus vulgaris. *Tourn. Inst.* 579.

Τέρμινθος *Dioscoridis.*

Τετράμιθος *hodiè.*

Κοκκορέτζα, ἢ κοκκοροβιθιά, vulgò in Peloponneso.

In Græciâ et Archipelagi insulis, vulgaris. ♄.

Arbor parvus, dioicus, glaber; *ramulis* punctis elevatis quibusdam subasperis. *Folia* impari-pinnata, coriacea, decidua; *foliolis* sæpiùs septenis, nunc novenis undenisque, oblongis, sessilibus, utrinquè obtusis, apice mucronulatis, ultimo sæpiùs cæteris minore; novellis pulchrè rubescentibus. *Flores* paniculati cum foliis novis aut ociùs nascentes, in masculis densi, fœmineis laxiores. MASCULI *sepalis* 5, subulatis, pilosis, *petalis* nullis, *staminibus* quinque, sepalis oppositis, *filamentis* debilibus brevibus, *antheris* tetragonis, 2-locularibus, longitudinalitèr dehiscentibus. FŒMINEI *sepalis* 3, subulatis, pilosis, *petalis* nullis, *ovario* obovato, glabro, styli glabri longitudine, *stigmatibus* 3, obovatis, dilatatis, hispidiusculis. *Drupæ* parvæ, siccæ, obovatæ, mucronulatæ, compressæ, pisi magnitudine, pallidè flavæ, sanguineo-suffusæ, uniloculares, monospermæ.

a. Ramulus, cum paniculâ masculâ.
b. Panicula fœminea, cum ramulo suo et foliis novellis.
c. Paniculæ fructiferæ pars.
d. D. Flos masculus, magnitudine naturali, et auctus.
e. Flos fœmineus.
F. Ejusdem sepala, aucta.
G. Pistillum, auctum.



Pistacia Terebinthus.



Pistacia Lentiscus

957

TABULA 957.

PISTACIA LENTISCUS.

Pistacia foliis abruptè pinnatis perennantibus 3—4-jugis, foliolis oblongis sessilibus mucronulatis basi angustatis, petiolo alato.

P. Lentiscus. *Linn. Sp. Pl.* 1455. *Blackw. Herb. t.* 195. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 65. *De Cand. Prodr. v.* 2. 65.

Lentiscus vulgaris. *Tourn. Inst.* 580.

Σχῖνος *Dioscoridis.*

Σχῖνος *hodiè.*

In Græciâ et Archipelagi insulis, ubiquè copiosissima. ♄.

Arbor parvus, dioicus, sempervirens, *ramulis* glabris, novellis sanguineis, maturis subangulatis, punctis elevatis scabriusculis. *Folia* perennantia, coriacea, abruptè pinnata, juniora rubescentia, adulta atroviridia, subtùs multò pallidiora et venis elevatis obsoletè reticulata. *Flores* in spicis axillaribus foliis brevioribus ordinati. Masculi, *calyce* brevi, 5-dentato, *petalis* nullis, *staminibus* 5, *filamentis* quàm antheræ oblongæ longitudinalitèr dehiscentes brevioribus. Fœminei, *calyce* 3-fido, *ovario* subrotundo, glabro, *stylo* brevi, *stigmatibus* 3, spathulatis, reflexis, sanguineis, hispidis. *Drupæ* siccæ, rubro-fulvæ, obovatæ, subtriangulares, uniloculares, monospermæ: loculis duobus alteris abortientibus.

a. Ramus masculus floridus; *b.* fœmineus. *c.* Spica fructifera.
d. D. Flos masculus, magnitudine naturali, et auctus. *e.* E. Flos fœmineus, magnitudine naturali, et auctus.
f. Drupa, à vertice visa. *g.* Semen.

DIŒCIA HEXANDRIA.

TAMUS.

Linn. Sp. Pl. 524. *Endlich. Gen. n.* 1202.

Tamnus. *Tourn. t.* 28. *Juss. Gen. Pl.* 43.

MASCULI. *Perianthium* 6-partitum.

FŒMINEI. *Perianthium* maris. *Stylus* 3-fidus. *Bacca* 3-locularis, infera. *Semina* 2.

TABULA 958.

TAMUS CRETICA.

TAMUS foliis cordatis integris trilobisque: lobis lateralibus rotundatis reticulatis, intermedio lanceolato acuminato trinervi multò longiore.

T. cretica. *Linn. Sp. Pl.* 1458. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 772

Tamnus cretica, trifido folio. *Tourn. Cor.* 3.

In sylvis et sepibus Cretæ et Cypri, necnon in Græciâ, haud infrequens. ♃.


Caulis volubilis, longè scandens, glaber, teres. *Folia* tenera, pallidè viridia, glaberrima, petiolo suo longiora, sinu lato cordata, palmivenia, nunc acuminata integerrima, nunc triloba; *lobis* lateralibus rotundatis, subundulatis, reticulatis, intermedio lanceolato acuminatissimo trinervi pluriès brevioribus. *Flores* MASCULI in racemis axillaribus, furcatis, divaricatis, foliis longioribus, quorum brachium alterum breve, fasciculatìm ordinati, luteo-virides. *Perianthium* duplici ordine tripartitum, stellatum; *foliolis* linearibus, obtusiusculis, æqualibus. *Stamina* 6. *Ovarii* rudimentum nullum.—Planta fœminea desideratur.

Turiones cocti apud Cyprios hodiè esculenti.

a. Florum masculorum fasciculus. *b.* Stamina.
C. Flos masculus, magnitudine auctus.



Tamus cretica.



Smilax aspera.

SMILAX.

Linn. Gen. Pl. 524. *Juss. Gen.* 42. *Gærtn. t.* 16.

MASCULI. *Perianthium* 6-phyllum.

FŒMINEI. *Perianthium* maris. *Styli* 3. *Bacca* supera, 3-locularis. *Semina* 2.

TABULA 959.

SMILAX ASPERA.

SMILAX caule aculeato angulato, foliis cordatis nunc subhastatis lanceolatis 7—9-nerviis aculeato-dentatis integrisque.

S. aspera. *Linn. Sp. Pl.* 1458. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 773. *Koch Fl. Germ.* 706.

S. aspera, fructu rubente. *Tourn. Inst.* 654.

Σμίλαξ τραχεῖα *Dioscoridis.*

Ἀκρουδόβατος *hodiè.*

Ξυλόβατος *Cypriorum.*

In palustribus et asperis Græciæ et Archipelagi, etiam in Cretâ et Cypro, copiosè. ♄.

Planta perennis, scandens. *Caules* flexuosi, herbacei, angulati, glabri, nunc aculeis rectis compressis acutis obsiti, nunc ferè inermes. *Folia* sempervirentia, atroviridia, coriacea, reticulata, cordata, v. auriculis dilatatis subhastata, lanceolata, acuminata, spinoso-dentata, aut omninò inermia, sæpiùs 7-nervia; *petiolis* aculeatis. *Cirrhi* gemini, stipulacei, spiraliter torti. *Flores* dioici, albi, in racemis terminalibus axillaribusque flexuosis fasciculatis dispositi; *pedicellis* rubescentibus, inarticulatis, quam ipsi flores paulò longioribus. MASCULI. *Perianthium* 6-partitum, stellato-patens; *petalis* linearibus, acutis, quam sepala paulò minoribus. *Stamina* 6. FŒMINEI. *Perianthium* omninò masculorum. *Staminum* rudimenta quædam decidua. *Ovarium* superum, ovale, 3-loculare; *stigmatibus* 3, linearibus, reflexis; *ovulis* 2 cuique loculo, suspensis. *Baccæ* coccineæ, pisiformes, 1—3-spermæ.

Foliorum formâ, necnon aculeorum præsentiâ et abundantiâ variare videtur, ideoque S. nigra, *Willd.* vix species diversa habenda est.

a. A. Flos masculus, magnitudine naturali, et auctus.
C. Flos fœmineus, seorsìm, magnitudine auctus.
e. f. Semina.
b. Racemus florum fœmineorum.
d. Baccarum racemus.

DIŒCIA DODECANDRIA.

DATISCA.

Linn. Gen. Pl. 530. *Juss. Gen. Pl.* 445. *Gærtn. t.* 30. *Endlich. Gen. n.* 5016.

MASCULI. *Calyx* 5-phyllus. *Corolla* nulla. *Antheræ* sessiles, oblongæ, 15.

FŒMINEI. *Calyx* 3—5-dentatus. *Corolla* nulla. *Styli* 3. *Capsula* 3-angularis, 3-cornis, 1-locularis, pervia, polysperma, infera.

TABULA 960.
DATISCA CANNABINA.

D. cannabina. *Linn. Sp. Pl.* 1469. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 833.
Cannabina cretica florifera, etiam fructifera. *Tourn. Cor.* 52.

In monte Sipylo, Phrygiæ. ♃.

Herba erecta, lætè viridis, glaberrima, 3-pedalis et ultra. *Caules* teretes, ramosi, striati, solidi, medullâ farcti, *ligno* radiato exteriùs magis compacto. *Folia* alterna, exstipulata, reticulata, inferiora impari-pinnata, 2—3-juga, superiora simplicia; *foliolis* ovato-lanceolatis, serratis, apice longè acuminatis integrisque. *Flores* MASCULI axillares et secus ramulos fasciculati, foliis floralibus linearibus acuminatis suffulti. *Sepala* 5, viridia, subulata, glabra. *Petala* nulla. *Stamina* 11—13, subsessilia, erecta, oblongo-linearia, 2-locularia, longitudinalitèr dehiscentia. FŒMINEI *calyce* supero, 3-dentato, dentibus carpellis oppositis. *Petala* nulla. *Capsula* infera, 1-locularis, apice dehiscens; *placentis* 3, linearibus, parietalibus, polyspermis, dentibus calycinis alternis. *Semina* minuta, anatropa, oblonga, teretia, reticulata, exalbuminosa; *embryone* semini conformi, *cotyledonibus* plano-convexis, radiculæ longitudine.

a. A. Floris masculi calyx, magnitudine naturali, et auctus. *b.* B. Stamina.
c. Capsularum fasciculi. *d.* Capsula seorsìm.
e. Semen. E. Idem auctum.



Datisca cannabina.



Ephedra distachya.

DIŒCIA MONADELPHIA.

EPHEDRA.

Tourn. t. 477. *Linn. Gen. Pl.* 532. *Juss. Gen. Pl.* 411. *Endlich. Gen. n.* 1804.

MASCULI. *Calyx* 2-valvis. *Corolla* nulla. *Stamina* 1—8 in columnam concreta. *Antheræ* 2—4-loculares.

FŒMINEI. *Involucrum*, *Calycis* et *Corollæ* loco, diphyllum. *Ovula* gemina, nuda, apice pervia, nuclei apice elongato styliformi. *Semina* gemina, opposita, nuda, plano-convexa, extùs coriaceo-carnosa.

TABULA 961.
EPHEDRA DISTACHYA.

EPHEDRA vaginis articulorum bidentatis obtusis, amentis oppositis verticellatisque sessilibus.
E. distachya. *Linn. Sp. Pl.* 1472? *Prodr. v.* 2. 265.
E. fragilis. *Desf. Fl. Atl. v.* 2. 372. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 860.
E. maritima minor. *Tourn. Inst.* 663.
Πολυκόμπτος *hodiè.*

In maritimis Græciæ; in monte Athô; et ad vias inter Smyrnam et Bursam. ♄.

Hujus plantæ ne fragmentum quidem in herbario Sibthorpiano restat. Si Baueri iconi fides sit habenda, ob amenta sessilia E. fragilis, *Desf.* potiùs videtur quàm E. distachya, *Linn.*

a. Amentum masculum. A. Idem auctum.
B. Flos masculus, seorsìm, cum calyce suo bivalvi et staminibus monadelphis, magnitudine auctus.

POLYGAMIA MONŒCIA.

ATRIPLEX.

Linn. Gen. Pl. 545. *Juss. Gen. Pl.* 85. *Gærtn. t.* 75. *Endlich. Gen. n.* 1912.

Hermaphr. *Calyx* 5-phyllus. *Corolla* nulla. *Stamina* 5. *Stylus* 2-partitus. *Utriculus* depressus. *Semen* solitarium, horizontale.

Fœminei. *Calyx* 2-phyllus. *Corolla* nulla. *Stamina* nulla. *Stylus* 2-partitus. *Utriculus* compressus. *Semen* solitarium, verticale.

TABULA 962.

ATRIPLEX HALIMUS.

Atriplex caule fruticoso, foliis alternis glaucis ovatis obtusis subsessilibus integerrimis, calycis fœminei valvulis denticulatis.


A. Halimus. *Linn. Sp. Pl.* 1492. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 957.

A. latifolia, sive Halimus fruticosus. *Tourn. Inst.* 505.


In Cypro, et Archipelagi insulis; etiam in Peloponnesi littore. ♃.

Deest in herbario. Ex icone *A. Halimo* vero foliis ovatis nec rhombeis paululùm differt.

a. A. Flos fœmineus; *b.* B. masculus, magnitudine naturali, et aucti.



Atriplex Halimus.



Atriplex græca

TABULA 963.

ATRIPLEX GRÆCA.

ATRIPLEX caule fruticoso (?) ascendente, foliis albo-glaucis oblongis hastatis sinuatis floralibus linearibus, floribus racemoso-paniculatis, calyce fructifero dentato.

A. græca. *Willd. Sp. Pl. v.* 4. 958.? *Prodr. v.* 2. 267.

A. græca fruticosa humifusa, halimi folio. *Tourn. Cor.* 38.

In Eubœæ maritimis. ♄.

Caules decumbentes, basi lignosi, duri, et forsitàn fruticosi; *ramis* ascendentibus, dealbatis, ramulosis, apice in racemum compositum abeuntibus. *Folia* albo-glauca, opposita alternaque, omnia oblonga, hastata, sinuata, obtusa, petiolis suis longiora, supremis exceptis sub paniculæ ramis, quæ linearia, integerrima, obtusa. *Flores* in herbario desunt.

Species hùc, præeunte cel. Smithio, relata, non obstantibus foliis magìs sinuatis longiùsque petiolatis quàm apud Willdenovium invenies; et forsitàn, si caulis reverà fruticosus sit, haud injustè. Notandum tamen cauli lignoso quem in herbario Sibthorpiano conservatur vix fruticis indolem tribueres.

a. A. Flos masculus; *b.* B. fœmineus, magnitudine naturali, et aucti.
c. Calyx fructifer.

CRYPTOGAMIA FILICES.

ACROSTICHUM.

Linn. Gen. Pl. 559. *Juss. Gen. Pl.* 15. *Willd. Sp. Pl. v.* 5. 100.

Sporangia sparsa, discum totum inferiorem folii vel ejus partem occupantia. *Indusium* nullum.

TABULA 964.

ACROSTICHUM MARANTÆ.

Acrostichum foliis bipinnatis, pinnis inferioribus oppositis, pinnulis oblongis obtusis integerrimis superioribus coadunatis inferioribus subpinnatifidis, subtùs paleaceis, petiolo hirsuto.

A. Marantæ. *Linn. Sp. Pl.* 1527. *Schkuhr. Crypt. v.* 4. *t.* 4. *Willd. Sp. Pl. v.* 5. 122.
Nothochlæna Marantæ. *R. Brown Prodr.* 146. *Kaulf. Filic.* 136. *Presl. Pteridogr.* 224.
Cincinalis Marantæ. *Desv. in Berl. Mag. v.* 5. 312.
Ceterach Marantæ. *DeCand. Fl. Fr. v.* 2. 567.
Asplenium ramosum. *Tourn. Inst.* 544.
Ἡμιονῖτις *Dioscoridis.*

In Cretâ et Cypro insulis; etiam in monte Athô. ♃.

Rhizoma horizontale, densissimè paleaceum. *Petioli* atropurpurei, nitidi, ramentis ferrugineis hirsuti, folio ipso longiores. *Folium* bipinnatum, circumscriptione lanceolatâ; *pinnis* ovatis, obtusis, infimis semper oppositis, superioribus alternis, demùm coadunatis; *pinnulis* ovalibus, subtùs densissimè ramentis ferrugineis vestitis, supremis coadunatis, infimis subpinnatifidis. *Venæ* ramentis abrasis conspicuæ, pinnatìm ordinatæ, bi-tripartitæ, in margine pinnularum equidistantes evanescentes. *Sporangia* globosa, subsessilia, annulo verticali elastico cincta, ramentis margini proximis axillaria.



Acrostichum Maranta.



Acrostichum velleum

TABULA 965.

ACROSTICHUM VELLEUM.

Acrostichum foliis bipinnatis, pinnulis ellipticis obtusis superioribus confluentibus utrinquè cum petiolo longissimè lanuginosis.

A. velleum. *Hort. Kew. v.* 3. 457. *Willd. Sp. Pl. v.* 5. 122.

Nothochlæna lanuginosa. *Desv. Encycl. Bot. Suppl. v.* 4. 110. *Kaulf. Filic.* 139.

N. vellea. *Desv. Journ. Bot. v.* 1. 92. nec *R. Br.*

A. lanuginosum. *Desfont. Atlant. v.* 2. 400. *t.* 256.

In insulâ Zacyntho. ♃.

Rhizoma breve, repens, foliis densissimè onustum. *Petioli* castanei, nitidi, juniores villosi, folio ipso multò breviores. *Folium* circumscriptione lanceolatâ, erectum, bipinnatum, obtusum, suprà villosum, subtùs densissimè lanuginosum, senectute calvescens et albescens; *pinnis* oblongis 4—5-jugis; *pinnulis* subrotundis, distantibus, integerrimis, nunc obsoletè trilobis. *Sporangia* pallida, subglobosa, compressa, annulo verticali testaceo cincta, lanugine pinnulorum abdita, margini proxima.

CHEILANTHES.

Swartz. Fil. 5. *Willd. Sp. Pl. v.* 5. 455.

Sori punctiformes, discreti, marginales, tecti *Indusio* squamiformi marginali interiùs dehiscente.

TABULA 966.

CHEILANTHES SUAVEOLENS.

Cheilanthes foliis bipinnatis glabris, pinnulis oblongis obtusis crenatis infimis pinnatifidis laciniis rotundatis, petiolo piloso.

Ch. suaveolens. *Prodr. v.* 2. 278. nec *Swartzii.*

Ch. odora. *Swartz. Synops. Filic.* 127. *Schkuhr. Crypt.* 115. *t.* 123. *Willd. Sp. Pl. v.* 5. 457. *Presl. Pteridogr.* 160.

Pteris acrosticha. *Balbis. Addit. ad Fl. Pedem.* 98.

In insulæ Cypri rupibus. ♃.

Petioli cæspitosi, ascendentes, purpureo-castanei, juniores villosi, adulti pilosi, vetusti calvi, folio ipso longiores. *Folium* circumscriptione ovatum, pallidè viride, glabrum, bipinnatum; *pinnis* folio conformibus, sed minoribus; *pinnulis* oblongis, basi latioribus, obtusis, crenatis, pinnatifidis pinnatisque, laciniis rotundatis. *Venæ* pinnatæ, simplices aut furcatæ, in sporangio desinentes. *Indusia* e margine oriunda, semicircularia, inflexa. *Sporangia* cuique indusio 1—2, incurva, subglobosa, pedicello elongato, et annulo verticali elastico.

CHEILANTHES.

Swartz. Fil. 5. Willd. Sp. Pl. v. 5. 455.

Sori punctiformes, discreti, marginales, tecti *Indusio* squamiformi marginali interiùs dehiscente.

TABULA 966.

EILANTHES SUAVEOLENS.

Cheilanthes foliis bipinnatis glabris, pinnulis oblongis obtusis crenatis infimis pinnatifidis laciniis rotundatis, petiolo piloso.

Ch. suaveolens. *Prodr. v.* 2. 278. nec *Swartzii.*

Ch. odora. *Swartz. Synops. Filic.* 127. *Schkuhr. Crypt.* 115. *t.* 123. *Willd. Sp. Pl. v.* 5. 457. *Presl. Pteridogr.* 160.

Pteris acrosticha. *Balbis. Addit. ad Fl. Pedem.* 98.

In insulæ Cypri rupibus. ♃.

Petioli cæspitosi, ascendentes, purpureo-castanei, juniores villosi, adulti pilosi, vetusti calvi, folio ipso longiores. *Folium* circumscriptione ovatum, pallidè viride, glabrum, bipinnatum; *pinnis* folio conformibus, sed minoribus; *pinnulis* oblongis, basi latioribus, obtusis, crenatis, pinnatifidis pinnatisque, laciniis rotundatis. *Venæ* pinnatæ, simplices aut furcatæ, in sporangio desinentes. *Indusia* e margine oriunda, semicircularia, inflexa. *Sporangia* cuique indusio 1—2, incurva, subglobosa, pedicello elongato, et annulo verticali elastico.

APPENDIX PRIMA;

SISTENS

NOMINA AUCTORUM COMPENDIARIA IN HOC OPERE CITATORUM

FUSIUS EXPOSITA.

Ach. Lichenogr.—Erik Acharii, Eq. Aur. &c., Lichenographia Universalis. *Gottingæ.* 4to. 1810. Cum tab. 14 coloratis.

—— *Meth.*—Ejusdem Methodus Lichenum. *Stockholmiæ.* 8vo. vol. 2. 1803. Cum tab. 8 coloratis, et Supplemento.

—— *Syn.*—Ejusdem Synopsis methodica Lichenum. *Lundæ.* 8vo. 1814.

Act. Holm.—Kongl. Vetenskaps Academiens nya Handlingar. *Stockholm.* 8vo. 1780—1815.

—— *Linn. Soc.*—Transactions of the Linnæan Society. *London.* 4to. vol. 1—11. 1791—1815.

—— *Nov. Helvet.*—Nova Acta Helvetica. *Basileæ.* 4to. 1787.

—— *Petrop.*—Acta Academiæ Scientiarum Imperialis Petropolitanæ. *Petrop.* 4to. 1777—1790.

—— *Soc. Hist. Nat. Paris.*—Actes de la Société d' Histoire Naturelle de Paris. *Paris.* fol. vol. 1. 1792.

—— *Taurin.*—Mémoires de l' Académie Royale des Sciences. vol. 5. *Turin.* 4to. 1793.

Ait. Hort. Kew.—Hortus Kewensis, by William Aiton. Ed. 1. *London.* 8vo. vol. 3. 1789. Ed. 2. by William Townsend Aiton. *London.* 8vo. vol. 5. 1810—1813.

